DISSERTATIO IVRIS ECCLESIASTICI DE EXARCHIS

AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRO LICENTIA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HONORES

IN VTROQVE IVRE SVMMOS

CAPESSENDI

PVBLICE EXAMINANDA PROPOSITA

A

IO. FRIDERICO MAGER.

LIPSIAE D. XVIII. OCT. MDCCXXXI.

EX OFFICINA LANGENHEMII.

Digitized by Google

VIRO

GENEROSISSIMO EXCELLENTISSIMO

DOMINO

FRIDER. AVGVSTO DE KÜHLWEIN

IN RASCHWITZ

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

POLONIARVM REGI

ET

ELECTORI SAXONIAE

A LEGATIONVM CONSILIIS

Digitized by Google

SVSCEPTORI EX SACRO FONTE
RELIGIOSO OBSEQVII CVLTV DEVENERANDO
STVDIORVM SVORVM PROMOTORI
RERVM STATORI
PATRONO
OPTIMO MAXIMO
SVMME DE SE MERITO
HANC
DE EXARCHIS DISSERTATIONEM
QVOD NON EST
CVI PROPTER INSIGNIA
IN LITTERAS SVAS MERITA
MAGIS DEBEATVR
IN
PIETATIS NVNQVAM INTERMORITVRAE
MONIMENTVM
CONSECRAT
OMNIA FELICITATIS INCOLVMITATIS
PERPETVA INCREMENTA
APPRECATVR

DEVOTISSIMVS CLIENS
IOANNES FRIDERICVS MAGER.

Digitized by Google

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. *Inſtituti ratio.* §. II. *Exarchi iam olim cum Metropolitanis et Patriarchis confuſi; unde? Titulus Exarchi proſcriptus ab eccleſia.* §. III. *De uſu uocis Exarchi, et tempore quo in eccleſiam inuecta. Qui ita uocati: ubi de Exarchis Italiae obiter.* §. IV. *De origine Exarchorum. Hierarchia eccleſiaſtica a Chriſto, ab Apoſtolis, et ad normam ſynagogae inſtituta fertur. Exarchorum dignitas concilio Nicaeno antiquior.* §. V. *Epiſcopi a presbyteris olim non diſtincti: erant quondam autocephali. De praerogatiua apoſtolicarum eccleſiarum.* §. VI. *Quae eccleſiae apoſtolicae fuerint? Conuertendi initium a metropolibus factum. Quomodo in metropolibus ſummis fundatae eccleſiae auctoritatem prae aliis acquiſierint? In quo auctoritas haecce conſtiterit?* §. VII. *Ad extollendas metropolitanas eccleſias politia Imperii ciuilis quid contribuerit? Dedit dignitati Exarchorum plenarium robur. Vnde Romanae eccleſiae auctoritas prouenerit, obiter.* §. VIII. *De tempore quo Exarchorum dignitas enata. Pro eorum antiquitate adſtruenda Apoſtolorum canones uocari in partes utrum queant? Iis iura ſua primus confirmat canon Nicaenus VI. De diſſenſa interpretum circa intellectum huius canonis.* §. IX. *Occaſio condendi eius, et connexio cum antecedentibus IV. et V. qui illuſtrantur. Explicatio canonis VI.* §. X. *Alexandrinus Epiſcopus omnes per Aegyptum Epiſcopos ordinat. De uariis Aegyptiacae dioeceſeos diuiſionibus. Presbyterorum et Diaconorum per eam ordinationes Alexandrinus peregiſſe uidetur.* §. XI. *Meletii inſultibus adſcribendam eſſe confirmationem iurium, aliquibus eccleſiis in concilio Nic. factam aduerſus L. E. du PIN euincitur.* §. XII. *Vtrum Alexandrinus Epiſcopus tum iam Exarchus fuerit, an ſaltem Metropolita? Per Aegyptum uicis etiam Epiſcopi praefecti. Meletius non fuit Metropolitanus. Aegyptii idololatriae ualde deditiEpiſcopos tardius acceperunt. De Praefecto Auguſtali.* §. XIII. *Romanus Epiſcopus utrum ea tempeſtate Metropolitanos ſub ſua inſpectione habuerit. Ordinat omnes per prouincias ſibi ſubiectas Epiſcopos.* §. XIV. *Antiochenus Epiſcopus ſupra orientalem dioeceſin conſtitutus, ad inſtar Comitis Orientis: ubi de huius officio. Ceu Exarchus a totius dioeceſeos Epiſcopis ordinatur. Praeeſt Metropolitanis dioeceſeos orientalis omnibus, ac eos conſecrat: idque iam ante concilii Nicaeni tempora.* §. XV. *Controuerſia eius cum Cypriis de iure ordinandi Conſtantienſem Metropolitanum. Innocentii de hac lite iudicium et Epheſini concilii de ea ſententia definitiua inuicem conciliata.* §. XVI. *HIERONYMI de exarchica Antiochenae eccleſiae ante concilium Nicaenum dignitate teſtimonium.* §. XVII. *Reliquae eccleſiae priuilegiatae ſunt Epheſina, Caeſareenſis et Heracleenſis. Poteſtate exarchica iam ante concilium Nicaenum fuerunt gauiſae.* §. XVIII. *Epheſini Epiſcopi a plurium prouinciarum Epiſcopis conſtituti. Reliquis Aſiae Epiſcopis praeſident.* §. XIX. *De Caeſareenſibus Epiſcopis pluribus prouinciis praefectis.* §. XX. *De Heracleenſis Epiſcopi dignitate exarchica, unde colligatur? De iure eius ordinandi Epiſcopum Conſtantinopolitanum.* §. XXI. *Reſpondetur obiectioni, metropolitica ſaltem iura a canone VI. Nic. innui. Quare a PP. titulus Exarchi non adhibitus. Occurrit primum in ſynodo Sardicenſi. De Metropolitanis ſimplicibus interdum, ſaepius de maioribus, praedicatur. Quare de priſcorum Epiſcoporum inter ſe ſubordinatione exacta ad nos non peruenerit*

nerit

Digitized by Google

nerit notitia? § XXII. *Exarchorum* πρεσβεῖα *non in mera honoris praerogatiua conſtitiſſe demonſtratur.* §. XXIII. *De iuribus patriarchicis canonem VI. non eſſe capiendum cum L. E. du PIN. aſſeritur. Sententia eius de huius canonis ſenſu examinatur.* §. XXIV. *De iuribus exarchicis confirmatis canonem intelligendum eſſe demonſtratur. Antiochenum Exarchi nomine quondam ueniſſe probatur.* §. XXV. *Concilium Conſtantinopolitanum dioeceſium ciuilium diuiſionem in eccleſiam recipit. Singuli Exarchi ſingulis dioeceſibus praepoſiti. Canon II. CPnus explicatus.* §. XXVI. *Cur ſingulis Exarchis ſingulae dioeceſes non committantur. De ſynodis maioribus et dioeceſanis. Quare Alexandrino ſoli tota Aegyptus commiſſa? Vtrum Antiochenus prae reliquis Exarchis e Nic. concilio quicquam habuerit praecipui? Innocentii reſcriptum examinatur.* §. XXVII. *De CPnorum Epiſcoporum cum Romanis aemulatione, et CPnae eccleſiae praerogatiua. Gelaſii epiſtola notata. CPni Epiſcopi in ſumma ſunt exiſtimatione.* §. XXVIII. *Iura in dioeceſin non niſi per gradus obtinere ualent. In concilio CPno priuilegium honoris poſt Romanum Epiſcopum accipiunt. Eius poſſeſſionem capit Nectarius. Agnoſcitur a legatis Romanis, qui max tamen id iterum inficiantur.* §. XXIX. *Heracleenſis Epiſcopus iuribus ſuis in Thraciam concilii CPni tempore nondum priuatus. CPnorum uſurpationes in dioeceſes Aſianam, Ponticam et Thracicam. In eorum fauorem lex ab Imperatore lata; ſed pro perſonali priuilegio habetur a Cizicenis.* §. XXX. *Concilium Chalcedonenſe tres dioeceſes CPno Epiſcopo ſubiicit. Fruſtra ſe opponunt Epiſcopi Romani. Imperatores haec CPno adiudicata iura tuentur.* §. XXXI. *De ſtatu Exarchorum poſt ſynodum Chalcedonenſem: Epheſinus, Caeſareenſis et Heracleenſis titulum et locum in conciliis retinent, caeterum exuti poteſtate in dioceſin. Qui per Exarchos in canone Chalcedon. IX. et XVII. intelligantur? Multiplex horum canonum interpretatio.* §. *XXXII. Iudicium in omnes Metropolitanos CPno Epiſcopo iis non tributum. Ex canonum et Iuſtiniani praeſcripto lites omnes aduerſus clericos motae intra dioeceſin iudicandae. Interpretationi noſtrae non obſtat iorda canonum.* §. XXXIII. *Antiocheno iura ſua integra manſerunt, ſed dioeceſis imminuta. Hieroſolymitanus Epiſcopus, Primatum honoris obtinet confirmatum a Concilio Nicaeno. Contendit cum Caeſareenſi de iure metropolitico; et cum Antiocheno de iure exarchatus in aliquot prouincias Controuerſia tranſanctione finitur.* §. XXXIV. *Alexandrinus decem habet ſub inſpectione ſua Metropolitanos. Summa eius per dioeceſin auctoritas in ſaecularibus non minus ac eccleſiaſticis.* §. XXXV. *Alexandrinus et Romanus Archiepiſcopi quondam dicti Eundem titulum Exarchi Antiochenus Hieroſolymitanus et CPnus poſt Concilium Chalcedonenſe aſſumunt.* XXXVI. *Tandem omnes Patriarchae audire malunt. Qui olim ita uocati? Vnde titulus iſte deſumtus, utrum a Iudaeis? Locus Socratis explicatur. Quibus tempore ſynodi Chalcedonenſis nomen Patriarcharum tributum?* XXVII. *Qui poſt celebratam eam illo uenerint. Vnde quinque, et qui ueraciter Patriarchae?* §. XXXVIII. *Ordo Patriarcharum inter ſe. Patriarcha non eſt, qui dioeceſi praeſidet. Archiepiſcopi medii inter Metropolitanos et Patriarchas. De uſu tituli Patriarchae in occidente. Quare EVAGRIVS iura patriarchica Epheſinae eccleſiae adſcribat?* § XXXIX. *De Exarcho Theſſalonicenſi: ubi de praefectura Illyrici eiusque diuiſione. Theſſalonicenſibus Epiſcopis uices ſuas delegant Epiſcopi Romani. Iura eorum et locus in conciliis.*

§. I. Inter

§. I.

INter plures iſtos titulos, quibus ſummi eccleſiaſtici antiſtites, in antiquiorum conciliorum canonibus, inſigniti deprehenduntur, ullum haut crediderim rarius occurrere quam titulum Exarchorum. Videri inde poſſet non mereri circa cuius explicationem ualde occupemur, tantoque minus, quum in aprico ſit, eum ante plura iamiam exſtinctum eſſe ſaecula. Interim animaduertentes, illum, prae reliquis ſui generis omnibus, in eo quid habere praecipui, ut circa eius genuinum intellectum tantus ſit interpretum diſſenſus, quantus circa caeterorum ſignificatum omnium nullus; nec non in explicatione aliquorum, eorumque celebriorum conciliorum, canonum inde non parum naſci difficultatis, quod, quibus competierit iſte, uulgo ignoratur; non male nos acturos, neque operam perdituros fore exiſtimauimus, ſi qui olim ita dicti fuerint curatius paullulum indagando, aliquot, quorum inſignis eſt prae aliis obſcuritas, canonibus lucem prae-

bere tentauerimus. Quis enim canonum ingenia interpretum magis unquam exercuit canon, quam famoſiſſimus ille concilii Nicaeni in ordine ſextus? et quantum non uiolentiae ſaepius ab interpretibus perpeſſi ſunt canones Chalcedonenſis concilii IX. et XVII? Hos tamen minus habituros uel obſcuritatis, uel erroris ſumus perſuaſi, ſi quae Exarchorum in eccleſia orientali fuerit dignitas, habuerimus exploratum. Et quum, qui canonibus interpretandis operam dederunt, tantum non omnes ambigere de eo plerumque ſoleant, utrum, et quomodo uel a Metropolitanis, uel a Patriarchis fuerint Exarchi diſtincti: in pertractando hoc argumento ita uerſabimur, ut non pateat ſolum, unde factum, ut tam raro titulus hicce occurrat, et quare cum Metropolitanis atque Patriarchis ſemper fere a commentatoribus Exarchi confuſi; uerum innoteſcat etiam quid inter hos tres diſcriminis interceſſerit. Neque tamen de Metropolitis aut Patriarchis plura dicemus, quam quae ad diſtinguendos eos ab Exarchis, et ad tollendos circa intellectum aliquot potiorum conciliorum canonum ſcrupulos, uidebuntur opus.

§. II.

Si ſolaminis loco haberi plerumque ſolet, habuiſſe in errando anteceſſores, ſolatio non deſtituentur, qui e recentioribus diſcrimen inter Metropolitanos aut Patriarchas et Exarchos penitus nullum agnouerunt: habent enim hoc cum antiquis canonum ſcholiaſtis prorſus commūne: Ἐξάρχους τῶν διοικήσεων τοὺς πατριάρχας εἶναι φασὶν ἄλλοι δὲ τοὺς μητροπολίτας, de ſua aetate teſtatur ZONARAS, 1) qui ſuum iis adiicit calculum, qui Metropolitas per Exarchos uolunt intellectos: Ὁ ἑκάστης ἐπαρχίας

χίας μητροπολίτης ἔξαρχος. Aliter de iis ſentit, eodem paene tempore florens, alter ſcholiaſtes graecus THEODORVS BALSAMON. 2) Ὁ μὲν ἔξαρχος τῆς διοικήσεως ἐςίν, ὡς ἐμόι δοκεῖ, ὐχ ὁ ἑκάςης ἐπαρχίας μητροπολίτης, ἀλλ᾽ ὁ τῆς ὅλης διοικήσεως μητροπολίτης. *Exarchus dioeceſis eſt, ut mihi uidetur, non uniuscuiusque prouinciae Metropolita, ſed totius dioeceſeos Metropolitanus.* Rationem huius diſſenſus ſi inquiras, rariorem potiſſimum huius tituli uſum, breuioremque durationem ſubeſſe inuenies. Ille inſigni primorum Epiſcoporum modeſtiae; haec praegrandi recentiorum ſuperbiae adſcribenda. Vix enim inualuerat Exarchi titulus, quum iam ceu tumidus, redolensque faſtum, minus Epiſcopo conuenientem, proſcriberetur ab eccleſia, prohiberetur, damnaretur. Nimirum expreſſo cauebant canone Patres Afri in concilio Carthaginienſi III. 3) *ne primae ſedis Epiſcopus princeps ſacerdotum, uel ſummus ſacerdos, aut aliud huiusmodi, ſed tantum primae ſedis Epiſcopus appelletur.* Vix autem abſterſerat hanc ſibi impreſſam notam, famaque gaudere coeperat reſtituta, quum iis, qui appellati eo hactenus fuerant, uilis nimis uideretur, atque indignus, quo ipſorum ulterius deſignaretur, quem in hierarchia eccleſiaſtica tenebant, gradus. Quos inde Chalcedonenſe concilium, tanquam inter omnes qui fuerint noti, Exarchos praeſupponit, eorum Iuſtinianus Imperator nuſpiam meminit. Praeterea diuerſa, quae experti ſunt Exarchi, fata auxerunt plerorumque de eorum dignitate dubitationem. Alii enim ex iis Patriarchae ſunt facti, alii in Metropolitanorum claſſem detruſi. Hi quod nomen retinerent, amiſſis licet iuribus, anſam praebuerunt exiſtimandi, eosdem eſſe Exarchos, qui et Metropolitani: Illi contra, quod re-

Digitized by Google

tentis iuribus Patriarchae dicerentur, confundendi eos cum Patriarchis occaſionem ſubminiſtrarunt.

1) ZONARAS ad can. IX. Concil. Chalcedon.
2) BALSAMON ad eundem
3) CONCILII CARTHAGINIENSIS III. can. 26. in HARDVINI collectione conciliorum maxima Tom. I. p. 964. et apud GRATIANVM c. 3. D. XCIX.

§. III.

Quod ad uſum uocis attinet, Exarchum quemlibet ducem, principem, uel auctorem alicuius rei inſtituendae, uel conficiendae ſignificare neminem latet; animaduerteruntque alii, eo nomine apud ſcriptores illos ſaepius uenire, qui canendo uoce aliis praeirent. Sic ἡγέμονα καὶ ἔξαρχον eum qui inter Therapeutas praecinebat, 1) et Moſen Iſraelitis, euchariſtos hymnos Deo pro uictoria cantantibus, praeeuntem ἔξαρχον uocat PHILO. 2) Primum uero aut principem inter alios denotat, ſi ſummum Pontificem ἔξαρχον ἱερέων appellat PLVTARCHVS, 3) et Apoſtolum Petrum ἔξαρχον τῶν Ἀποστόλων THEOPHILACTVS. 4) In eccleſiam quo tempore titulus iſte introduci coeperit; liquido non conſtat; primum tamen quum adhiberetur, promiſcue uſurpatus, et iis omnibus tributus eſt, qui inter coeteros primi eſſent ac praecipui; unde non ii tantum, qui ſupra Metropolitanos erant conſtituti, ſed ipſi etiam Metropolitae Exarchi aliquando fuerunt dicti. Teſtimonio CONCILII SARDICENSIS canon VI. 5) χρὴ πρότερον ἐκεῖνον τὸν ἐναπομείναντα ἐπίσκοπον ὑπομιμνήσκεσθαι διὰ γραμμάτων τοῦ ἐξάρχου τῆς ἐπαρχίας, λέγω δὴ τοῦ ἐπισκόπου τῆς μητροπόλεως, κ. τ. λ. *Primum oportet Epiſcopum illum abſentem admoneri litteris Exarchi prouinciae, hoc eſt, Epiſcopi metropoleos, etc.* Forte quod ad hunc

hunc locum reſpexit Zonaras, quum Exarchos per Metropolitanos interpretatur. Verum quod inter Metropolitas alii cathedrarum, quas tenebant, intuitu praeeminebant caeteris, nullo tamen hactenus peculiari titulo diſtinguerentur, Exarchi cognomentum his potiſſimum, et priuatiue tandem ceſſit. Sane poſt huius Sardicenſis ſynodi tempora, uſque ad Chalcedonenſe concilium ſimplicibus Metropolitanis tributum nullibi inuenitur. Caeterum quando Patres Epheſini concilii de A. CDXXXI. praeſides huius concilii Exarchos appellant, 6) hac quidem uoce utuntur in naturali ſuo ſignificatu, quemlibet alicuius rei principem aut primum denotante: Quamuis enim, qui ſynodo iſti praeſidebant Epiſcopi, Cyrillus Alexandrinus, et Memnon Epheſinus inter Exarchos locum habuerint, eo tamen intuitu hoc ibi nomine uenire non uidentur. Ex quo autem poſt celebratum concilium Chalcedonenſe, priuati licet auctoritate, nomen tamen Exarchorum gerere continuarent, Epheſinus, Caeſareenſis et Heracleenſis Epiſcopi, mox alii quoque Metropolitani eundem ſibi uindicarunt titulum, ita ut a recentioribus graecis ſcriptoribus Ancyranum, Cizicenum, Sardenſem, Nicomedienſem, Nicaenum, Chalcedonenſem alioſque paſſim Exarchos uocatos uideas: unde fiebat, ut tandem hic ſummis olim eccleſiaſticis praeſulibus proprius titulus adeo uileſceret, ut Chorepiſcopi 7) et Viſitatores ſeu Circuitores ab Epiſcopis conſtituti, 8) nec non Marianus, Monaſteriorum Conſtantinopolis urbis Prior, 9) eodem reperiantur laudati. Qui illi fuerint Exarchi, quos ſaeculo VII. Imperatores Orientis mittebant, ut iis Italiae prouinciis praeſiderent, quae, a Longobardorum iugo immunes, dictorum Imperatorum adhuc co-

lere auctoritatem tenebantur, iam ut commemoremus, alienum a ſcopo. Promiſcui autem uſus uocis Exarchi mentionem propterea fecimus, ut conſtet quid plurimos induxerit ad credendum, titulum huncce nullum peculiarem in hierarchia eccleſiaſtica gradum unquam deſignaſſe. Quod uero a Sardicenſi ſynodo, et a recentioribus Graecis de Metropolitis praedicatur, nondum euincit eos ab his nunquam fuiſſe diſtinctos: ſi haec enim ualeret conſequentia, de Patriarchis quoque dicendum foret, ipſos in nullo diſtincto gradu fuiſſe conſtitutos. Ante enim quam hoc praedicatum Romano, Conſtantinopolitano etc. unice adhaereret, ſimplices etiam Epiſcopi eodem fuerunt cohoneſtati. (*) Et hoc tamen non obſtante nemo eſt qui dubitet, quin quam maxime fuerint ab Epiſcopis Patriarchae diſtincti. Archiepiſcopi quondam non niſi Alexandrinus, Romanus, aliique inter omnes Epiſcopos primi uocabantur, mox titulus hic aliis communicatus eſt, hodie ſimplicibus Metropolitanis adhaeret. Quid itaque mirum, ſi quod aliis euenit titulis, exarchico etiam accidiſſe deprehendatur? Promiſcue primum omnibus illis, qui uel Epiſcoporum, uel Metropolitanorum gerebant inſpectionem fuit adſcriptus; mox de iis ſaltim praedicatus, quos eccleſia, quam adminiſtrabant, ſupra ſimplicium Metropolitanorum conditionem eleuabat; tandem uero illis iterum e Metropolitanis communis, qui inter reliquos eiusdem dioeceſeos Metropolitas locum occupabant praecipuum.

1) PHILO circa finem libri de uita contemplatiua.
2) IDEM de uita Moſis Lib. I. p. 429. et Lib. III. p. 491.
3) PLVTARCHVS in Numa.
4) THEOPHILACTVS in c. XXII. Luc.
5) Vid. Concilior. Tom. I. p. 642. edit. HARDVIN. ubi et diuerſae

uerſae habentur, et a textu graeco non parum recedentes Iſidori Mercatoris et Dionyſii Exigui uerſiones huius canonis latinae. Eundem quoque exhibet GRATIANVS c. 9. D. LXV.

6) Vid. CONCILIVM EPHESINVM de A. CDXXXI. Act. VI. in relat. ad Impp. apud HARDVINVM T. I. p. 1597. Relationem dictam ita concludunt PP. Δεόμεθα τοίνυν τοῦ ὑμετέρου κράτους ἀνεῖναι λοιπὸν ἡμᾶς τῆς θλίψεως καὶ κελεῦσαι ἀποδοθῆναι ἡμῖν τοὺς ἐξάρχους τῆς ἁγίας ταύτης συνόδου, τοὺς θεοφιλεστάτους ἐπισκόπους Κύριλλον καὶ Μέμνονα. *Obteſtamur proinde ueſtram maieſtatem, ut tandem nos ab hac tribulatione liberet, Cyrillumque et Memnonem, Deo deuotiſſimos Epiſcopos, ſanctae huius ſynodi praeſides reſtitui nobis iubeat* etc. IBIDEM p. 1600.

7) HARMENOPVLVS epit. can. tit. IX. Χωρεπίσκοποι οἱ νῦν λεγόμενοι ἔξαρχοι εἴτε πατριάρχου εἰσὶν, εἴτε μητροπολίτου. *Choreπiſcopi ſunt qui nunc uocantur Exarchi, ſiue ad Patriarcham ſpectent, ſiue ad Metropolitanum.*

8) BLASTARES Syntag. Alphab. lit. E. c. 30.

9) Vid. Act. I. CONCILII CONSTANTINOPOLITANI ſub Menna de A. DXXXVI. apud HARDVINVM Tom. II. p. 1189. 1193. ſeqq.

(*) Vid infra §. XXXVII.

§. IV.

Exarchis atque Metropolitanis communia habentibus exordia, illorum inueſtigaturi natales; non poterimus non de utrorumque ortu aliqua commemorare. Solent autem qui de eccleſiaſticis dignitatibus commentantur, plerique in eorum exponendis originibus ita uerſari ut ipſis eadem merito expetenda uideatur uenia, quam antiquitati precatur LIVIVS, ut ſcilicet miſcendo humana diuinis primordia rerum auguſtiora facere liceat: Conſecrant enim origines earum, et, ne quid auctoritatis deſit, ad Deum referunt auctorem. Chriſtum aiunt fuiſſe, qui ante in coelos quam tolleretur, hierarchiam aliquam eccleſiaſticam Epiſcopos, Metropolitanos atque Patriarchas iſpe inſtituerit. Erroneam autem

autem horum opinionem ut decet refutat de antiqua eccleſiae diſciplina exponenda ualde meritus Doctor Sorbonnicus, LVDOVICVS ELIAS du PIN: 1) *Metropoliticam*, inquit, *aut patriarchicam dignitatem a Chriſto inſtitutam fuiſſe, merum commentum eſt, quod ne ueriſimilitudinis quidem umbram habet. Chriſtus enim non extra Iudaeam praedicauit, nec ullas gentilium urbes, quamdiu uixit, uel per ſe, uel per ſuos, ad fidem conuertit: Dici ergo non poteſt eum de facto metropoles et patriarchias inſtituiſſe. Dici quidem poſſet eum Apoſtolis praecepiſſe, ut poſt conuerſionem gentium Metropolitanos et Patriarchas inſtituerent, ſed hoc gratis fingitur, nec exſtat ullum eiuſmodi praeceptum, ſiue in ſacris litteris, ſiue in antiquorum Patrum monumentis. etc.* Alii, inter quos PETRVS de MARCA, tutius affirmari poſſe exiſtimant, Apoſtolorum id inſtitutum fuiſſe; contra quos idem laudatus Du PIN prolixe diſputat. 2) His rurſus alii, quibus nondum antiqua ſatis et digna uidentur dicta primordia, addunt, et Chriſtum, et Apoſtolos ad ſynagogae normam dictam hierarchiam eccleſiaſticam ſtabiliuiſſe: Et Chriſtum quidem XII. Apoſtolos, LXXII. autem diſcipulos habuiſſe, ſicuti Moſes initio ſui principatus XII. delegerit, uti Principes et Patres XII. tribuum, aucto uero populo ex ſingulis tribubus ſex adiunxerit, ex quibus LXXII. ceu Senatores conſtituti. Dignitates uero patriarchales, metropoliticas, primatiales, epiſcopales, presbyteriales, diaconalesque per Iudaeorum Patriarchas, Primates, Archiſynagogos, Hiereos, Presbyteros et Azanitas 3) adumbratas, et ad inſtar harum Iudaicarum dignitatum eſſe introductas. 4) Nimis diuerteremur a propoſito, ſi in aliorum circa hanc rem erroneis ſententiis uel recenſendis, uel re-

Digitized by Google

refellendis operam collocare uelimus. Genuina magis harum dignitatum primordia perquirentes fateri oportet, illa admodum obſcura atque incerta eſſe. Quis etiam deſideret certum noſſe initium rei, quae paullatim, et nemine fere aduertente, per uſum ſaltim et conſuetudinem fuit introducta, cuius indoli conſentaneum eſt, ut fixum eius aliquod initium ſuppeditari non poſſit. Hos autem genuinos eſſe fontes, quibus et Metropolitae, et Exarchi, ſuas debent origines, clare admodum uniuerſale, quod Niceae habitum eſt, concilium manifeſtat; ſimul vero indicat quum celebraretur iam ad maturitatem quandam eorum perueniſſe poteſtatem: quare natiuitatem illorum inquiſituri altius paululum recedere, eamque ab illo tempore repetere debemus, quod a fundatione eccleſiae chriſtianae per Orientem, (circa quem tantum uerſari argumenti ratio iubet) ad dictum uſque concilium effluxit.

1) LVD. EL. du PIN de antiqua eccleſiae diſciplina Differt. I. §. VI. p. 14.

2) IDEM l. c. p. 15.

3) De his Iudaeorum dignitatibus conferatur titulus Codicis Theodoſiani: De Iudaeis, Caelicolis et Samaritanis, (qui eſt VIII. Lib. XVI.)

4) Confer. JOSEPHVS MOTTA in diſſert. de metropolitico iure §. II. ſeqq. et §. XI. p. 1. et 17. add. GROTIVS ad Act. VI. 1. 11. 30. et ad cap. XIX. 12. et XX. 18.

§. V.

Primitiuae eccleſiae temporibus nulli hierarchiae eccleſiaſticae gradus, et nimis acriter a Saluatore notatum fuerat praecedendi ſtudium, inter Apoſtolos aliquando obortum, quam ut de primatu aliquo inter ſe eſſe potuerint ſolliciti. Vix autem ac ne uix quidem exceſſe-

Digitized by Google

ceſſerant e uiuis, quum diſſidiis et contentionibus miſere affligi inciperet eccleſia, adeo ut uix fundata ruinam iamiam minitari uideretur. Irruenti huic malo ut obuiam irent praeſtare uidebatur, tollere illam communem hactenus presbyterorum adminiſtrationem eccleſiarum. *Olim* enim, *idem erat Presbyter qui et Epiſcopus, et antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, et diceretur in populis: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae, communi Presbyterorum conſilio eccleſiae gubernabantur. Poſtquam uero unusquiſque eos, quos baptizauerat, ſuos putabat eſſe non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur caeteris, ad quem omnis eccleſiae cura pertineret, et ſchiſmatum ſemina tollerentur*, etc. uti Epiſcoporum originem deſcribit HIERONYMVS. 1) Hi autem in ſchiſmatis remedium electi Epiſcopi eccleſiarum ſuarum curam primum independentes gerebant, et *habebant omnes pro licentia libertatis et poteſtatis ſuae arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non potuerint, quum nec ipſi potuerint alterum iudicare, ſed exſpectabant uniuerſi iudicium domini noſtri I. C. qui unus et ſolus habebat poteſtatem, et praeponendi eos in eccleſiae ſuae gubernatione, et de actu eorum iudicandi*, quibus uerbis Patres concilii alloquitur Carthaginienſis Epiſcopus CYPRIANVS. 2) Teſtaturque HIERONYMVS 3) *Epiſcopum ubicunque fuerit, ſiue Romae, ſiue Eugubii, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegii, ſiue Alexandriae, ſiue Tanis eiuſdem meriti, eiuſdem eſſe ſacerdotii. Potentiam diuitiarum et paupertatis humilitatem uel ſubliniorem, uel inferiorem Epiſcopum non facere: caeterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores eſſe.* Agnouit etiam ſupremam

mam hancce Epiſcoporum in primitiua eccleſia poteſtatem AENEAS SYLVIVS, poſtea PIVS II. Pontifex Romanus: 4) *Etenim quid hodie erant Epiſcopi, niſi umbra quaedam? Quid plus eis reſtabat, quam baculus et mitra? Nunquid paſtores ſine ouibus dici poterant, quum nihil in ſubditos ſtatuere poſſent? Nempe quum eſſent in primitiua eccleſia ſumma poteſtas, hodie ad id uenerant, ut ſolo habitu et reditibus ſuperarent Presbyteros.* Tametſi uero non tenerentur Epiſcopi in adminiſtratione eccleſiarum ſuarum aliorum ſequi imperia, ſed omnes ſibi inuicem eſſent aequales, obſeruari tamen in regimine eccleſiaſtico, ZIEGLERO aduertente, 5) coepit, ut maiorem auctoritatem prae reliquis omnibus haberent eccleſiae illae, quas Apoſtoli ipſi, et apoſtolici uiri, ſiue diſcipuli Apoſtolorum fundauerant. Quodſi aliqua controuerſia oborta fuiſſet, uel circa fidem, uel circa diſciplinam, ſolebant doctores ſaepe numero prouocare ad doctrinam in illis eccleſiis traditam et excultam, et ad mores earum uſitatos, ut oſtenderent ſcilicet doctrinam ſuam et diſciplinam eſſe uere apoſtolicam, et ab Apoſtolis traditam, eo quod crederentur iſtae eccleſiae Apoſtolorum uocem adhuc retinere, quum et ſcriptas ab eis epiſtolas, doctrinam hanc continentes, et propriis Apoſtolorum manibus exaratas, ſancte cuſtodirent et conſeruarent. Sic igitur fiebat, ut etiam Epiſcopi iſtarum eccleſiarum prae ceteris magnam haberent auctoritatem in cauſſa fidei aſſerenda, et inde ὑπεροχὴν aliquam tractu temporis conſequerentur. E pluribus a laudato ZIEGLERO hanc in rem prolatis egregiis teſtimoniis, tria ſaltim huc transſcribamus. Ita uero IRENAEVS: 6) *Quid enim, et ſi quibus de aliqua modica quaeſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſ-*

 ſimas

ſimas recurrere eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, et ab eis de praeſenti quaeſtione ſumere, quod certum, et re liquidum eſt. Et TERTVLLIANVS: 7) *Quid autem praedicauerint* (Apoſtoli) *id eſt, quid illis Chriſtus reuelauerit, et hic praeſcribam, non aliter probari debere, niſi per easdem eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis praedicando tam uiua, quod aiunt, uoce, quam per epiſtolas poſtea. Si haec ita ſunt, conſtat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis eccleſiis apoſtolicis, matricibus et originalibus fidei conſpiret, ueritati deputandam, id ſine dubio tenentem, quod eccleſiae ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſcepit,* etc. Et alibi poſtquam haereticorum cauillationes confutaſſet, eccleſias aliquot apoſtolicas commemorat his uerbis: 8) *Age iam qui uoles curioſitatem melius exercere in negocio ſalutis tuae, percurre eccleſias apoſtolicas, apud quas ipſae adhuc cathedrae Apoſtolorum ſuis locis praeſidentur, apud quas ipſae authenticae litterae eorum recitantur, ſonantes uocem et repraeſentantes faciem uniuscuiusque. Proxime eſt tibi Achaia, habes Corinthum; ſi non longe eſt a Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praeſto eſt.* Hinc itaque prima aliquibus prae caeteris eccleſiis parta praerogatiua.

1) HIERONYMVS ad c. 3. ep. ad Tit. c. 5. D. XCV. et ad Euagrium epiſt. 85. tom. II. c. 24. D. XCIII. DVARENVS de ſacr. eccleſ. miniſt. L. I. c. VII. Differentiam inter Epiſcopos et Presbyteros exponit ZIEGLERVS de Epiſcopis Lib. I. cap. III.

2) CONCILIVM CARTHAGINIENSE ſub Cypriano circa A. CCLVIII.

3) HIERONYMVS ad Euagrium l. c. §. I.

4) AENEAS SYLVIVS de gen. concil. Baſil. p. 27.

5) ZIEGLERVS de Epiſcopis Lib. I. c. IV. §. X. p. 55.

6) IRE-

Digitized by Google

6) IRENAEVS adu. haereſ. Lib. III. c. IV.
7) TERTVLLIANVS de praeſcriptionibus cap. XX.
8) IBIDEM cap. XXXVI.

§. VI.

Illa autem quae cathedrae conſpicuae fuerint, aut quibus in ciuitatibus eccleſias Apoſtoli, aut apoſtolici uiri, primum fundauerint, ad noſtram quidem tam exacte non peruenit notitiam. Si tamen ſupremam et unicam ſanctorum horum uirorum curam, uitamque in eo abſumtam omnem, ut Chriſto adducerent quotquot poſſent omnes, perpendimus; nec non illud, quod inter maiorem hominum frequentiam praeſtantiorem longe ſuae praedicationis effectum iure polliceri ſibi potuerint: non errare putamus, ſi a metropolibus potiſſimum conuertendi initium eos feciſſe dixerimus. Praeter enim quod ſpem fouere oportebat certiſſimam, fore ut quo plures habuerint ſuae praedicationi auſcultantes, eo etiam plures futuros, quos ſua conuinceret oratio; quique aeternae ſuae ſaluti conſulturi ueſanum idolorum cultum cum ſanioribus chriſtianorum ſacris commutatare mallent: Ea etiam propter in metropolibus prius ſtabilienda erat chriſtiana religio, quod ibi quam maxime poſſet idololatria, et quod perſuaſi eſſe debebant, hinc eiectam per reliquam prouinciam facile fore extorrem, perque uniuerſam regionem ſua ſponte exarituram, ſi in metropoli radicitus fuerit exſtirpata. Hancce opinionem fundamento non eſſe deſtitutam exempla docent: *Alexandria ciuitas* erat *ampliſſima, et maxima hominum multitudine frequentata, non Aegypti ſolum, uerum et Thebaidis, et Libyarum, quae Aegypto adiacent principatum obtinens*, 1) multitudine incolarum adeo abundabat, ut quum Diodorus Siculus in Aegyptum appelleret,

Digitized by Google

leret, ultra CCC. millia liberorum capita in illa degentium fuerint numerata 2). Quantum autem eius incolae idololatriae dediti fuerint, ex iis cognoſci poteſt, quae Notitia antiqua graeca, Conſtantii temporibus facta, tradit, in qua haec de Alexandria leguntur. 3) *Dii quoque coluntur eximie, et templum Serapis ibi eſt, quod quidem ſingulare eſt, toto orbe uiſu ſpectabile opus, nullibi quippe terrarum talem aut ſtructuram, aut templi diſpoſitionem, aut cultus inuenire eſt, quia huic principatus debetur.* Et porro: *Sane enim quum ibi, ut antea diximus bene Deos colant, uiſui maxima quaeque offerunt: Etenim omnia fana et templa undique exornata ſunt, Neocori etiam ut ſacerdotes et miniſtri et aruſpices, et adoratores, et optimi uates apud eos abundant. Sed et omnia rite fiunt, quare inuenias ibi aras ſemper igne ſplendentes, et ſacrificiis thureque plenas, ſerta etiam et thuribula aromatibus plena ſacrum ritum ſpirantia.* Rebus itaque ſic comparatis Marcus Euangeliſta in Aegypto eccleſiam Chriſti plantaturus, ab Alexandrina ciuitate primum exorſus eſt. 4) Antiochia celeberrima Syriae urbs, et metropolis erat totius Orientis, AMMIANO *Syriae decus, Orientis apex pulcher, mundo cognita ciuitas, cui non certauerit alia, aduectitiis affluens copiis et internis,* dicta, (5) et a Geta Imperatore non multum infra Romam iudicata: 6) ibi ergo Petrus, ante Romam quam proficiſceretur, fundauit eccleſiam, eiusque Epiſcopum conſtituit Ignatium. 7) Epheſus in Ionia ſita, prima metropolis erat Aſiae, 8) templo Dianae, inter VII. mundi miracula numerato, nobilis, et propter motus, a cultoribus eius aliquando excitatis, in Actis Apoſtolorum celebris; eius autem eccleſia a Paulo fundata. 9) Equidem et aliis minoribus ciuitatibus pariter ab Apoſtolis uiris-

uiriſque apoſtolicis fidem aliquando eſſe annunciatam, nullum dubium; cathedras ibi ſtatim erectas haut ueriſimile. Solebant enim plerumque minores ciuitates tantum ſuperare metropoles ſuperſtitione, et pro auitis ſacris pertinacia, quantum ciuium numero ſuperabantur ab illis, unde e paucioribus Chriſti cultoribus conflata eccleſia proprio minus egebat Epiſcopo. Caeterum religio chriſtiana ubi radices in metropolibus ſemel egisſet, mox ramos inde protendebat ſuos per circumiacentem undiquaque regionem, eiusque propagatores iisdem, quibus primi fidei doctores, rationibus moti, quo ampliorem, potiorem, abundantioremue incolarum numero urbem deprehenderent, eo etiam citius mancipare illam Chriſto ſatagebant, ita ut a ſummis et primis cuiuslibet regionis ciuitatibus perueniſſe primum religio chriſtiana ad reliquas prouinciarum metropoles, et ab his denique dimanaſſe ad circumfuſas minores ciuitates plerumque uideatur. Inde uero fiebat, ut quam alias filiae matri, eandem etiam reuerentiam recenter inſtitutae eccleſiae illis exhiberent cathedris, a quorum antiſtitibus primum erant fundatae. Exerebat ſeſe reuerentia iſta inprimis, quoties in defuncti Epiſcopi locum, nouus eſſet ſubſtituendus, tum enim ſucceſſione nullus uidebatur ſat dignus, quem talem antiquioris illius et matris cathedrae Epiſcopus non probaſſet, probatumque ſuis conſecraſſet manibus: haecque, non niſi aegre, et propter urgentem neceſſitatem, interrupta ſerie, perpetuo ſeruabatur conſuetudo, ut a cuius cathedrae Epiſcopo ſemel eſſet inſtitutus alicuius ſedis praeſul, ab eodem etiam, aut ſucceſſoribus eius, uellent conſecrari ſucceſſores huius ſinguli. Praeter conſecrationem uero et illa debiti cultus portio uidebatur, ut, quoties dubii quidpiam

circa

circa fidem aut diſciplinam alicui obueniſſet, ille prae aliis conſuleretur Epiſcopus, qui ordinationem peregiſſet. Hac autem ratione iſte metropoleos Epiſcopus, non ſuae tantum, cui praepoſitus, eccleſiae ſpecialem, uerum et caeterarum, ab anteceſſoribus ſuis conditarum, eccleſiarum curam gerebat ſupremam, proſpiciens ne per eas detrimentum caperet uel fides, uel diſciplina. Quodſi maioris aliquid momenti emerſiſſet, et uel de procurando dictarum eccleſiarum commodo aut auerruncando malo ageretur, ne temere et ex ſuo tantum arbitrio quid ſtatuiſſe argui poſſet, dhibere in conſilium eos ſolebat, qui ſua alias ſequi conſilia erant aſſueti. Inuitabat ideo ad conuentum, apud ſe inſtituendum, quos conſecrauerat ſingulos, qui factae taliſmodi inuitationi tam promte et ſtricte obtemperabant, ut *pertinere ad conſecrationem* et *pertinere ad ſynodum* alicuius ſynonimicae fierent locutiones, ueteriſque diſciplinae illud caput haberetur praecipuum, ut ſynodis ſe ſiſterent Epiſcopi apud eum, cuius arbitratu eſſent ordinati. (*)

1) THEODORETVS Libr. I. c. 1.
2) DIODORVS SICVLVS biblioth. hiſt. Libr. XVII. c. LII
3) Allegat hanc Notitiam eccleſiaſticam CAROLVS a. S. PAVLO in geogr. ſacr. Libr. X. p. 264.
4) EVSEBIVS hiſt. eccl. L. II. c. 15 HIERONYMVS ad Euagrium, c. 24. §. I. D. XCIII.
5) AMMIANVS MARCELLINVS L. XIV. et XXII.
6) Geta cum fratre Antonino Caracalla imperium diuiſurus ſedem ſibi elegerat uel Antiochiam uel Alexandriam ceu urbes non multum infra Romam, uid. HERODIANVS Lib. IV. c. 3.
7) EVSEBIVS in chron. Ann. II. Claudii. THEODORETVS dialog. I. Tom. IV. p. 33.
8) L. 4. D. de officio Proconſulis
9) EVSEBIVS hiſt. Lib. III. c. 4.
(*) Conf. PETRVS de MARCA de Conc. Sac. et Imp. Lib. I. cap. VII. §. 3. et ill. BOEHMERVS in ſelectis obſeruatt. ad

Digitized by Google

ad hunc locum, Obſ. XII. p. 37. ubi primam ſubordinationis rationem, et poteſtatem in caeteros Epiſcopos ex ordinatione peracta deducit. *Licet enim*, inquit, *auctoritas quaedam acceſſerit Epiſcopis dignitate ciuitatum, tamen haec ipſa per ſe ſola haut potuit ius illis in reliquos Coëpiſcopos, ipſis in poteſtate aequales, conciliare, ſed aliis adhuc adminiculis opus fuit. Scilicet antiquitus moris fuit, ut Epiſcopi a proxime uicinis ordinarentur, ſed ubi paullatim ex ciuitatum ſplendore Epiſcoporum dignitas incrementum acciperet, exiſtimatum fuit potiſſimum ab illis ordinationes eſſe faciendas, quod quum nonnulli ab initio ex libera uoluntate fecerunt, ſucceſſores in imitationem traxere. Propter hanc ordinationem ordinati ſemper reuerentiam erga ordinatorem habuerunt, ut ſic nunquam, uel rarius abſque conſilio aliquid egerint, immo tandem eo res deducta eſt, ut ordinandi fidem ordinatori promittere, et illam ſaepe in ſcriptis edere obſtringerentur.*

§. VII.

Non tamen auctor fuerim haec ſingula tam ſtricte ſeruata fuiſſe, ut in unaqualibet prouincia ſemper prima fundata fuerit in metropoli eccleſia, et ex hoc capite a metropolitana ſede reliquae ſemper omnes pependerint; plerumque tamen ita obtinuit, ut ob antiquiorem fundationem metropoleos eccleſia emineret auctoritate prae reliquis, ſicque reſponderet diſtributio eccleſiaſtica diſpoſitioni Imperii ciuili. Id autem plenius adhuc fiebat ex eo, quod metropoles eſſent ſedes ordinariae ſupremorum per eam regionem magiſtratuum. Nimirum erat praefectura Orientis in dioeceſes, haeque in prouincias diuiſae; et dioeceſes et prouinciae uero a ſuis adminiſtrabantur magiſtratibus ſibi inuicem ſubordinatis, ſedemque in metropolibus fixam plerumque habentibus. Quin e re fuerit Imperii hocce inſtitutum, in dubium nemo uocabit. Eccleſia preſſa quam diu fuerat, minusque praeſulum multi, talismodi haut ualde opus habuerat ordine; ubi uero maiorem Orientis partem implere, atque ab haereticis et ſchismaticis non parum affligi coepiſſet, non minus ac Im-

perium talia expoſcere uidebatur inſtituta, medianti-
bus quibus et ſeruari ordo, et cuſtodiri diſciplina in eadem poſſent. Quod uero alia, et meliora ſtabilire ignorarent primi Epiſcopi, accommodabant ſeſe iis quae in Imperio uigebant, et per prouinciam ſinguli in metropoli conſtitutum Epiſcopum cultu proſequebantur eodem, quo proſequi ſuperiorem in ea ſedentem magiſtratum ſolebant ii, qui ciuitatibus reliquis praeerant, et ad hoc faciendum eo erant procliuiores, quod hanc Imperii imitationem commodam admodum, et conducere eccleſiae deprehenderent. Si enim de communi omnium bono in commune aliquando eſſet conſultandum, conuentui tali commodior non poterat praeſtitui locus, quam metropolis; quippe ad quam alias conuenire Epiſcopis non minus quam laicis et opus et uolupe erat: 1) Pondus etiam et robur addere iis, quae ſtatuta erant inter Epiſcopos ualebat auctoritas magiſtratus in metropoli praeſentis. Quanto enim uel adiumento, uel impedimento promouendae, ſtabiliendae, tuendaeue religioni, et diſciplinae praeprimis eccleſiaſticae, brachium, ut uocatur, ſaeculare eſſe poſſit, ſuperuacaneum eſt ut moneamus. Et quum inter hoſce magiſtratus, qui in ſummis et primis metropolibus totius dioeceſeos ſedebant, auctoritate pollerent maiori prae reliquis prouinciarum magiſtratibus, eccleſiaſtici quoque praeſules aſſueſiebant pedetentim maiorem illarum eccleſiarum Epiſcopis habere reuerentiam, qui in dioeceſeos metropoli cathedram habebant fixam, prae iis, quorum ſedes in prouinciae metropoli erat conſtituta. Et ſic tandem his ſingulis, uel plerisque concurrentibus momentis: apoſtolica, aut ſane antiquiori fundatione eccleſiae; inde diffuſa religione chriſtiana ad caeteras prouincias;

et

et denique, quod omnium maximum, dignitate et poteſtate urbis, ac magiſtratus in urbe ſedentis, enaſcebatur ſuprema illa ac independens aliquarum eccleſiarum auctoritas, 2) quam earum Epiſcopi ſub nomine Exarchorum exercuerunt.

1) Facit huc CONCILII ANTIOCHENI canon. IX. *Per ſingulas regiones Epiſcopos conuenit noſſe Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius prouinciae gerere, propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia uidentur habere, concurrant. Vnde placuit eum et honore praecellere, et nihil amplius praeter eum caeteros Epiſcopos agere etc.* apud HARDVINVM T. I. concil. p. 596.

2) Vnde Romanae eccleſiae ſua parta praerogatiua exponit MARSILIVS c. XVIII. D. II. quae quia pleraque et in orientales ſummas metropoles quadrant, hic ſubiungere fas ſit: *Quamuis tamen,* inquit, *aliarum prouinciarum Epiſcopi plures, in quibus dubitabant, tam de ſcriptura ſacra, quam de ritu eccleſiaſtico, non audentes ſe publice congregare conſuluerunt Epiſcopum, et eccleſiam fidelium exiſtentem Romae, propter maiorem fidelium ibidem multitudinem, et magis peritiorem, eo quod ſtudia ſcientiarum omnium tunc multum Romae uigebant; unde ipſorum Epiſcopi et ſacerdotes peritiores, et in talium numero plus caeteris abundabat ipſorum eccleſia. Erant enim et reuerentiores tunc; quia B. Petrus Apoſtolorum ſenior, meritis perfectior et reuerentior ibidem tanquam Epiſcopus ſediſſe legitur, et B. Paulus. Tum etiam propter Rom. urbis principalitatem et famoſitatem ampliorem ad caeteras mundi prouincias. Vnde etiam prouinciarum aliarum fideles, ſufficientia perſonarum carentes, ad ipſorum eccleſias gubernandas ab Epiſcopo et eccleſia Rom. fidelium poſtulabant perſonas, ſibi ad epiſcopatum praeficiendas, eo quod eccleſia fidelium Romae perſonis talibus, ut iam diximus, amplius abundabat. Epiſcopi uero, et eccleſia Romanorum, ſic requiſiti, conſilium et auxilium, tam circa fidem et eccleſiaſticum ritum, et perſonarum prouiſionem indigentibus et requirentibus, caritatiue et fraterne ſubueniebant in his; Epiſcopos ſcilicet eis mittendo, qui uix inueniebantur acceptare uolentes. Ordinationes quoque, quas ſuper eccleſiaſticum ritum ſibi fecerant, aliis communicando prouinciis, contentionem, aut ſchiſma fidelium inter ſe audientes, caritatiue monendo.*

§. IIX.

De tempore quo adolouerit haecce dignitas certi quidpiam definire minus licet. Metropolitanorum auctoritatis mentionem canones faciunt qui apoſtolici nuncupantur, 1) qui ſi a Clemente, Epiſcopo Romano, ineunte ſaeculo II. fatis functo, ut uulgo fertur, forent compilati, inde forte ad Exarchorum quoque aetatem ſubſumere poſſemus; ſed dubia nimis eſt atque incerta horum canonum origo, fides, et auctoritas, quin adprobandam antiquitatem uel Metropolitarum, uel Exarchorum ſufficiant. 2) Perantiquam tamen eſſe utrorumque, Exarchorum inprimis, inſtitutionem antiquiſſimum uniuerſale concilium Nicaenum prodit, horum iura non ceu tum recenter inſtituta, ſed tanquam iam ab antiquo exercita canone VI. commemorans. Meretur hic canon apud quem ſubſiſtamus aliquantiſper, quum primus exarchicae dignitatis ueſtigia preſſerit, circa intellectum uero ſuum diſſenſionibus quam maxime obnoxius ſit: 3) *Antiqui*, PP. inquiunt, *mores ſeruentur qui ſunt in Aegypto, Libya, et Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium poteſtatem habeat, quandoquidem et Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter et in Antiochia et in aliis prouinciis ſua priuilegia eccleſiis ſeruentur. Illud autem omnino eſt manifeſtum, quod ſi quis abſque Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus; eum magna ſynodus definiuit non eſſe Epiſcopum. Quod ſi quidem communi omnium electione quae et rationi conſentanea, et ex regula eccleſiaſtica facta eſt, duo vel tres propter ſuam, qua delectatur, contentionem contradicant, uincant plurium ſuffragia.* Quod praecipua fuerint Alexandrinae, Romanae, Antiochenae et aliarum eccleſiarum iura hoc canone confirmata nemo quidem dubitat;

Digitized by Google

qualia autem fuerint, metropolitica,an patriarchica, ab interpretibus mirum quantum diſceptari ſolet, negotium ipſis quam maxime faceſſente comparatione quae inter harum eccleſiarum antiſtites apparet inſtituta; quum expreſſe nominatarum eccleſiarum haut easdem, fuiſſe rationes, haut eadem iura, conueniat inter omnes; inde uero quid illis hoc canone confirmetur, aut cuius intuitu comparentur, dubium relinquatur, multoque magis illud, quae reliquae ſint eccleſiae in canone non nominatae, quaeue ipſarum ab antiquo itidem exercita priuilegia. Exarchica illa fuiſſe uix ulli uenit in mentem, aut ſi qui ita dixerunt, per ea honoris ſaltim primatum intellexerunt. Interim de aliis nullis hanc canonis partem capiendam eſſe, illaque non in mera honoris praerogatiua conſtitiſſe ut pateat, ſimulque de totius canonis genuino intellectu conſtet, licebit in eius explicatione paullo eſſe prolixioribus: et quia cum proxime antecedentibus canonibus hunc cohaerere inſpectio eius edocet, aliqua etiam de illis, et de occaſione Patribus ad eos condendos ſubminiſtrata erunt praemittenda.

1) Can. XXXIII. *Cuiuſque gentis Epiſcopos oportet ſcire, quinam inter ipſos primus ſit, habereque ipſum quodammodo pro capite, neque ſine illius uoluntate quicquam agere inſolitum etc.*

2) Ipſi Rom. eccleſiae praeſules, alias admodum faciles, fabulis etiam habere fidem, eam tamen his canonibus penitus quondam denegauerunt, conf. c. 3. §. 64. et 81. D. XV. et quae ex ISIDORO GRATIANVS c. 1. D. XVI. eosque eccleſia Rom. in ſynodo Quiniſexta, inclinante ſaec. VII. habita, primum recepit, conf. c. 4. D. XVI. Caeterum aetatem Clementis eos non attingere, tantum abeſt ut auctores Apoſtolos agnoſcant, inter eruditos dudum conuenit. *Certe ſi quis eſſet, qui canones Apoſtolorum, et D. Clementis conſtitutiones Apoſtolorum auctoritate ſancitas publicataſque certo affirmaret, imperitus cenſeretur. Nam qui antiquarum conſuetudinum gnari, quo quidque tempore aut loco obſeruari deſitum ſit, aut mutari coeptum, norunt, de iis ne dubitare quidem poſſunt,* ſentit GABR. ALBA-

ALBASPINAEVS Epiſc. Aurelianenſis *de uet. ritib. eccleſ.* lib. I. obſeru. 13. allegatque multa in iis adeo clare dilucideque explicata eſſe et conſtituta, ut de eorum ſenſu dubitari non poſſit, quae tamen tertio quartoque ſaeculo ſumma contentione diſputata fuerint; qualiſmodi ſunt ſabbathorum ieiunia, poenitentium receptio, baptiſmus haereticorum. Contra PETRVM de MARCA Lib. III. c. 2. de C. S. et I. eorum uetuſtatem ex eo aſſerentem, quod Antiochenum concilium ad antiquum Patrum canonem et regulam eccleſiaſticam c. IX. et XVII. prouocat, quo eos innui ipſi uidetur, obſeruat BASNAGE T. II. annal. ad A. CCC. §. 15. ſeqq. quod ubi in concilio Nicaeno etc. prouocatum ad canones, non Apoſtolorum canones, ſed mores et obſeruantia intelligantur, quippe qui tribus prioribus ſaeculis, quibus non ſcripto magis quam ſcripto iure gubernata eccleſia, itidem ſub canonum nomine ueniſſent, quod eſſent regulae non ſcriptae, confer. Ill. BOEHMERVS in iur. eccl. prot. Libr. I. c. IV. §. XXIX. Eos ſub titulo canonum apoſtolicorum (uiri apoſtolici dicebantur Apoſtolorum ſucceſſores) paucos ſub initium editos, auctos uero numero ſucceſſu temporis, tandemque uno uolumine, nulla conciliorum, temporis, auctorumque mentione facta, comprehenſos fuiſſe putat ſupra laudatus Albaſpinaeus. Dionyſius ſane, qui circa initium ſaeculi VI. primus eos in latinum ſermonem e Graeco tranſtulit, non niſi L. in exemplaribus graecis inuenit, quum eorum numerus ad LXXXV. hodie adſcendat. Quinto demum ſaeculo eos compilatos eſſe tuetur BASNAGE loc. cit. add. tamen qui peculiari opere eorum antiquitatem adſtruere allaborauit BEVEREGIVS.

3) Vid. ap. HARDVINVM concil. T. I. p. 326. et mutilate c. 6. D. LXV. c. 8. D. LXIV. c. 1. D. LXV.

§. IX.

Nimirum quae de diſciplina eccleſiaſtica priorum ſaeculorum, praefati ante ſumus ex conſuetudine unice pendebant. Illius autem conſuetudinis uis tanta erat atque auctoritas, ut legis inſtar ſcriptae cuſtodiretur. Videas proinde ubi in recentioribus conciliis PP. ad legitimandam ſuarum ſanctionum aequitatem, ad anteriorum retro conciliorum canones prouocant, 1) ibi a Nicaeno atque Antiocheno concilio antiquos mores, conſuetu-

ſuetudinem, traditionem, antiquam Patrum regulam, uti conſuetudinem uocaſſe uidentur, 2) allegari 3) Quae uero uel ſcriptarum legum ſolet eſſe fortuna, ut ne ſemper contradictione careant, eandem experta quoque fuit ſortem haec antiquitate ſua potens conſuetudo. Meletius quidam, Lycopoleos in Thebaide prima Epiſcopus, ibi conſtituere Epiſcopos praeſumſerat, ubi conſtitui ab Alexandrino Epiſcopo hactenus conſueuerant. Ad hoc attentandum quid eum impulerit non conſtat, forte quia diuerſum ſentiebat in religione, aut prorſus ab ea deſciuerat 4) propterea Epiſcoporum ſibi uindicabat ordinationes, quo ſuae ſectae aſſeclas alios remunerari, pellicere alios, ſicque ſuam haereſin melius propagare poſſet: Aut, quod magis probabile, offendebat ipſum, quod quum cuiusuis Metropolitani auctoritas ultra unius prouinciae ciuilis limites ſe non extenderet, Alexandrini e contrario per integram Aegypti dioeceſin porrigeretur. Quicquid fuerit, quod ſeruandae diſciplinae ſufficere conſuetudo amplius non uideretur, tempus quidem erat lege illam expreſſa firmare. Peruerſa Arrii, preſbyteri Alexandrini, de religione dogmata occaſionem praebuerant Nicenae conuocandae ſynodo, ibi poſt ea quam eſſent abſoluta quae poſcere ſibi fidei ſeruanda puritas uidebatur, progrediebantur PP. ad ea ſancienda quae collapſam reſtaurare, aut nutantem firmare poſſe diſciplinam exiſtimabant. Aderat enim concilio alios inter Alexandrinus quoque Epiſcopus, Alexander nomine, deferens ad ipſos inſolentes Meletii, ordinationum iura ſibi uindicantis auſus. Huius attentatis non ſolum obicem ponere, uerum proſpicere etiam uolens concilium ne alii Metropolitarum iura inpoſterum concutere occiperent, canonibus cauet, et

primo

primo quidem exorditur a conſtitutione Epiſcoporum, et quae circa eam Metropolitarum partes exponit: Epiſcopum nempe ab omnibus per prouinciam Epiſcopis conſtitui, a Metropolitano autem confirmari debere. 5) Inde fertur ad ea, quae circa excluſionem, ſiue excommunicationem Epiſcoporum, aut aliorum quorumcunque obſeruanda, et quum in ſynodis prouincialibus, utrum iuſte, an iniuſte ſegregati fuerint, diiudicandum, quoties talismodi Epiſcoporum conuentus inſtituendus decernit. 6) Tandem ubi hactenus regula de Metropolitanorum iuribus eſſet ſtatuta, eorumque auctoritas et poteſtas prouinciae ciuilis limitibus circumſcripta, ad docendam a regula exceptionem deproperant PP. et Alexandrinum ordinationes Epiſcoporum, non ut alii Metropolitae per unam, ſed per plures prouincias, iure exercere ſtatuunt. Ac ne huius diſpoſitionis aequitas apud Meletii aſſeclas, aut alios, in dubium uenire poſſet, partim exemplum parallelum Romani Epiſcopi, Epiſcopos etiam per plures prouincias ciuiles ordinantis, partim mores allegati antiqui efficere debent: Sed quum hic ipſe titulus in fauorem ſaltim Alexandrini excogitatus uideri poſſet, producuntur exempla aliorum praeſulum, inſignibus quibusdam priuilegiis, ex fundamento eodem, gaudentium, Antiocheni ſcilicet, aliorumque in aliis prouinciis, quorum poſtremorum forte propterea mentionem iniiciunt, ne eorum priuilegia hactenus exercita tacendo et praetereundo ſublata uiderentur. Iam itaque liquet, quo intuitu comparatio inter illas priuilegiatas eccleſias inſtitui potuerit, namque non comparantur proprie inter ſe, ſed Alexandrinus cum Romano, reſpectu ad ordinationes Epiſcoporum per plures prouincias ciuiles; cum Antiocheno autem et reliquis,

liquis, intuitu priuilegiorum iuſte, quia ab antiquo, competentium. Poſtquam igitur hac ratione approbaſſent PP. harum priuilegiatarum eccleſiarum iura praecipua continuant et abſoluunt, quam de conſtitutione Epiſcoporum tractationem canone IV. inceperant. Reſtabant quippe adhuc caſus aliqui decidendi: Si enim contigiſſet, ut non obſtante diſpoſitione illa canonis IV. quis tamen Epiſcopus conſtitutus fuerit, absque conſcientia Metropolitani, quid tum agendum? *Illud autem omnino eſt manifeſtum, quod ſi quis absque Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus, eum magna ſynodus definiuit non eſſe Epiſcopum.* Item: omnium per prouinciam Epiſcoporum uel praeſentium, uel abſentium conſenſus requirebatur ad conſtitutionem Epiſcopi can. IV: quod ſi uero ex pluribus illis aliqui, et quidem praeter rationem diſſenſerint? *Quodſi quidem communi omnium electione, quae et rationi conſentanea, et ex regula eccleſiaſtica facta eſt, duo vel tres, propter ſuam, qua delectatur, contentionem contradicant, uincant plurium ſuffragia.* Vt ideo poſterior huius canonis pars ulteriorem declarationem ſiſtat eorum quae canone IV erant ſtatuta.

1) E. g. Concilii Conſtantinop. can. II. Chalcedonenſis can. XXVIII.
2) Vid. §. VIII. n. 2.
3) E. g. Nicaeni concilii canones VI. et VII. Antiocheni canones IX. et XXIII.
4) Eum, quod inter alia idolis ſacrificaſſet, a Petro Alexandrino, depoſitum eſſe ſcribit ATHANASIVS apol. II. p. 777.
5) Can. IV. CONCILII NICAENI apud HARDVINVM T. I. p. 323. *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui ſunt in prouincia conſtitui, ſi autem ſit hoc difficile, uel propter urgentem neceſſitatem, uel propter uiae longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptisque aſſentientibus, tunc ordinationem facere, eorum autem, quae fiunt, confirmationem in unaquaque prouincia a Metropolitano fieri.*

6) Can. V. IBIDEM: *De his qui communione priuantur, ſeu ex clero, ſeu ex laico ordine, ab Epiſcopis per unamquamque prouinciam ſententia regularis obtineat, ut hi qui abiiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem ne puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Epiſcopi uitio uideantur a congregatione ſecluſi. Vt hoc ergo decentius requiratur, bene placuit annis ſingulis per unamquamque prouinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus ſimul Epiſcopis prouinciae congregatis diſcutiantur huiusmodi quaeſtiones etc.*

§. X.

Ne autem temere hunc uexatiſſimum canonem ita explicuiſſe uideamur, ſingulorum quae dicta ſunt probatio efficiet. De Alexandrino Epiſcoporum ordinationes per plures prouincias peragente, hisque praeſidente clariſſima proſtant teſtimonia. Superioris Libyae eccleſias ad curam Dionyſii Alexandrini, qui annis plus ſexaginta ante concilium Nicaenum ſedit, pertinuiſſe, eumque propterea erumpente Sabellii haereſi epiſtolas miſiſſe admonitorias ad Epiſcopos, qui infici ea coeperant ATHANASIVS teſtis eſt, 1) et SYNESIVS, Ptolemaidis, in Libya ſuperiori Epiſcopus ad Theophilum Alexandrinum ſcribit, 2) poſt Antonii in Epiſcopum Olbiatis electionem, cui ipſe interfuerat, *unum adhuc ſupereſſe, idque praecipuum, ſacram* eius, Theophili ſcilicet, *manum.* Sui ipſius ordinationem ad Theophilum ſpectaſſe, ſeque illi ſubiectum fuiſſe, alibi IDEM teſtatur. 3) Siderius, Palaebiſcae in Thebaide II. Epiſcopus, legitimus ex eo non cenſebatur, quod Alexandriae conſtitutus non fuiſſet. 4) *Morem inualuiſſe ut Alexandriae Epiſcopus totius Aegypti, ac Thebaidis, Mareotaeque ac Libyae, Ammoniacaeque, et Mareotidis ac Pentapolis* eccleſiaſticam habuerit adminiſtrationem EPIPHANIVS ait. 5) Quod autem hic auctor plures enumerat

Digitized by Google

merat Aegypti prouincias, quam quarum Nicaenum concilium meminit confundere neminem debet, diuerſimode enim Aegyptus diuiſa fuit. AMMIANVS tres prouincias eam habuiſſe refert temporibus priſcis, Aegyptum ipſam, Thebaidem, et Libyam, quibus duas adiecerit poſteritas, ab Aegypto Auguſtamnicam, et Pentapolim a Libya ſicciori diſtinctam. 6) Vtcunque uero nominentur prouinciae, ſemper tota, quae paruit Praefecto Auguſtali dioeceſis ſubintelligitur, per quam uniuerſam Epiſcoporum ordinationes, et quidem non ſolum poſt, ſed etiam, quod plerique negant, ante Nicaeni concilii tempora peragebat Alexandrinus. Immo ſunt qui tueantur, presbyteros quoque et diaconos inſtitutos per Aegyptum ab eodem Alexandrino, ex SOZOMENO et EPIPHANIO illud colligentes; quorum ille refert 7) ordinationes a Meletio peractas ad Petrum Alexandrinum pertinuiſſe, nullas excipiens: Hic autem Meletium, quamcunque regionem locumque peragraret, clericos, Epiſcopos, presbyteros et diaconos conſtituiſſe docet. 8) Poſt Dioſcorum, Hermopolis Epiſcopum, a Theophilo Alexandrino ordinatum, duos etiam clericos in eadem eccleſia ab eodem fuiſſe inſtitutos SOCRATES meminit. 9)

1) ATHANASIVS in opuſculo de ſententia Dionyſii Alexandrini Tom. I. p. 552. *In Pentapoli ſuperioris Libyae quidam Epiſcoporum tunc temporis cum Sabellio ſentiebant -- Rei certior factus Dionyſius, cui earum cura eccleſiarum incumbebat etc.*

2) SYNESIVS epiſt. LXXVI.

3) IDEM epiſt. CV et LXVII. ubi ait: *ſed mihi impoſita neceſſitas eſt pro lege id habendi quicquid thronus ille* (Alexandrinus) *ſtatuerit.*

4) IDEM epiſt. LXVII.

5) EPIPHANIVS haer. LXVIII. n. 1. Bis *Mareotidis* nomen in textum eius irrepſit, in alterutro autem legendum uidetur *Marmaridis.*

 6) AM-

6) AMMIANVS MARCELLINVS lib.XXII. Trium priſcarum illarum THEODORETVS meminit Lib. I. c. 1. Addit iis Pentapolim ATHANASIVS apol. II. ſynodum congregatam ſcribens ex Aegypto, Thebaide, Libya et Pentapoli. Et IDEM epiſtolam ad Africae Epiſcopos ſcribens, una cum XC. Epiſcopis, ut habet titulus κατ' Αἴγυπτον καὶ Λιβύην conſtitutis, in ipſa epiſtola uocat πᾶσαν τὴν Αἴγυπτον καὶ τὰς Λιβύας, indicio eum ſub Aegypto Thebaidem etiam comprehendere, Libyas autem Marmoricam et Pentapolitanam intelligere, quod numerus XC. Epiſcoporum manifeſtat; ad Solitarios p. 820. et 825.

7) SOZOMENVS Lib. I. c. 23.

8) EPIPHANIVS haereſ. LXVIII.

9) SOCRATES Lib. VI. c. 7.

§. XI.

Meletii inſultibus deberi hanc Patrum Nicaenorum diſpoſitionem tuemur, licet hoc ullo modo probari poſſe neget Du PIN. (*) Praeter enim quod SOZOMENVS eum ordinationes ad Petrum Alexandrinum pertinentes ſibi uindicaſſe refert; 1) recenſentur quoque XXVIII. Epiſcopi ab eo ordinati in catalogo ὁμοψήφων, quem ſtatim poſt concilium Nicaenum Alexandro, Alexandrino Epiſcopo, petente exhibuit Meletius; 2) clariſſime illud manifeſtat epiſtola ſynodalis, ſcripta eccleſiis per Alexandriam, Aegyptum, Pentapolim et Libyam etc. ab Epiſcopis Nicaeni concilii, 3) in qua ſequentia leguntur: *Verum quum iam Aegyptus non modo peruerſa illa opinione et blaſphemia,* (ſcil. Arrii) *ſed etiam caeteris hominibus, qui in populo antea pacato et tranquillo ſeditionem et diſcordiam concitare auſi ſunt, Dei gratia penitus liberata eſſet, tamen petulantia Meletii, et eorum, qui ab illo in ſacrum ordinem cooptati ſunt reſtabat adhuc: De qua re quid concilium decreuerit, uobis, cariſſimi fratres, indicamus. Concilium clementius aliquando in Meletium animatum, decreuit etc. Illi uero qui ab eo in*

ſacrum

Digitized by Google

ſacrum ordinem lecti ſunt, ſimul atque ſanctiori ordinatione confirmati fuerint, ad communionem poſthac admittantur, et permittatur illis quidem honoribus frui, et ſacris muneribus fungi, ſed tamen omnibus, in ſingulis paroeciis et eccleſiis, qui ſunt ab honoratiſſimo uiro et collega noſtro, Alexandro, ordinati, ſint omnino inferiores. Quin etiam nulla poteſtas eis ſit, uel diſponendi, quos uelint, uel omnino quicquam faciendi absque conſenſu Epiſcoporum catholicae et apoſtolicae eccleſiae, qui ſub Alexandro ſunt, ſanctiſſimo collega noſtro etc. Et porro. *Haec ſunt praecipua et competentia Aegypto et ſanctiſſimae Alexandrinorum eccleſiae. Si quid aliud ordinatum eſt, praeſente domino atque cariſſimo comminiſtro et fratre noſtro Alexandro, ipſe praeſens uobis poterit ſubtilius aperire, tanquam auctor geſtorum et communicator exiſtens:* Et GELASIVS CYZICENVS in uolumine actorum concilii Nicaeni ante allegatam epiſtolam quam commemoraret, de Meletio haec praefatur: 4) *Quoniam autem Meletius Epiſcopus delectus non multum ante Arrii furorem conuictus a ſanctiſſimo Petro Alexandrinae eccleſiae Epiſcopo, et poſtea martyrii corona exornato, et epiſcopatu abdicatus ſententiae abdicationis non acquieuit, ſed Thebaidem et finitimam Aegyptum tumultu ac procellis contentionis impleuit, tyrannidem contra praerogatiuam ſedis Alexandri Epiſcopi uſurpans, conuentus Epiſcoporum ad Alexandrinam eccleſiam ſcripſit, quae de Meletio res nouas moliente ſtatuiſſet.* Sufficere haec putamus teſtimonia ad tollendam omnem, de Meletii attentatis, occaſionem confirmationi metropoliticorum iurium praebentibus, dubitationem.

(*) Du PIN de antiq. eccl. diſc. Diſſ. I. §. ult. p. 83.

1) Vide §. antec. not. 7.

2) Vid. ATHANASIVS apolog. II. aduerſ. Arrianos.

 3) Ex-

3) Exhibent hanc epiſtolam ſynodicam SOCRATES Lib. I. cap. 19. et THEODORETVS Lib. I. cap. 9.

4) Cap. XXXIII. quod inſcribitur: *De nefario Meletio.* Inſeruit uolumen hoc actorum HARDVINVS tomo I. collectionis conciliorum. PHOTII de hoc GELASII opere iudicium uide in Bibliotheca eius c. 15.

§. XII.

Quamuis autem ex hactenus dictis certum ſit Alexandrinum Epiſcopum uniuerſae dioeceſi Aegyptiacae, ceu ſupremum Antiſtitem, praefuiſſe, ea tamen propter Exarchum eum fuiſſe non dixerim: ſiquidem nondum ſatis patet utrum inter plures illos Epiſcopos, qui per Aegyptum erant, 1) et quibus Alexandrinus praeſidebat, uel unicus fuerit metropolitana auctoritate praeditus, potius conſtat, aliquos eorum uicis ſaltim praefuiſſe. 2) Equidem EPIPHANIVS de Meletio ſupra memorato ſcribit, 3) *eum caeteris Aegypti Epiſcopis antecelluiſſe, ſecundumque a Petro dignitatis locum obtinuiſſe, utpote illius adiutorem; ſed eidem tamen ſubiectum fuiſſe, et ad ipſum de cauſſis eccleſiaſticis retuliſſe.* Et alibi 4) eum *Archiepiſcopum in Aegypto*, *et Alexandro ſubiectum* dicit. SYNESIVS etiam, ad metropolitanam Ptolemaidis eccleſiam gubernandam miſſum eſſe Siderium Palaebiſcenſem Epiſcopum ait: 5) Verum Meletii dignitatem perſonalem ſaltim fuiſſe, et cathedrae nunquam affixam, certum eſt: Lycopolis enim ciuitas inter metropoles Aegypti nunquam connumerata, et in Notitiis tam ciuilibus, quam eccleſiaſticis eo nomine in prouincia Thebaidis I. ubique laudatur Antinoë. Neque plures ſub Alexandrino prouinciae, dioeceſim conſtituentes, Exarchum eum facere ualent, quum potuerint hae ciuiles tantum fuiſſe, 6) et ſic dioeceſim quidem ciuilem,

eccle-

Digitized by Google

eccleſiaſticam autem non niſi prouinciam unicam conſtituiſſe. Forte quod mira Aegyptiorum in idolorum ſuorum numinumque cultu pertinacia 7) impediuit, quo minus per eas oras eandem, quam in dioeceſibus aliis formam capere poſſet eccleſia. Ipſi certe per prouincias Aegypti Epiſcopi longo poſt fundatam Alexandrinam eccleſiam primum fuerunt inſtituti, et *ab Anania, quem conſtituit Marcus Euangeliſta Patriarcham Alexandriae, usque ad tempora Demetrii, undecimi ibidem Patriarchae, nullus in Aegypti prouinciis fuit Epiſcopus, nec ante eum Patriarchae crearunt Epiſcopos. Ille autem factus Patriarcha tres conſtituit Epiſcopos, et primus hic fuit Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos fecit. Mortuo Demetrio ſuffectus eſt Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos conſtituit uiginti,* uti perhibet in chronico ſuae eccleſiae EVTYCHIVS, Patriarcha Alexandrinus. 8) Erat quoque Alexandrinorum Conſtantii adhuc aetate tantus pro ſuis delubriis zelus, ut quum Imperator ille locum chriſtianis pro aedificanda eccleſia addixiſſet, in quo gentilium myſteria recondebantur, gentiles, Alexandriae degentes impetum fecerint, hos gladiis, illos fuſtibus, alios lapidibus uſque ad necem caedentes, Georgiumque Epiſcopum, ab eccleſia raptum ad camelum alligarint, diſcerpſerintque, et ipſum una cum beſtia combuſſerint. 9) Nec minor fuit ſub Valentiniano iuniore, et Theodoſio, quum iuſſu Imperatorum Epiſcopus ſimulacra deorum diruit. 10) Vt hinc minus repugnare uelim, ſi quis Metropolitanos Alexandrino Antiſtiti concilii Nicaeni tempore ſubditos fuiſſe neget. Neque obſtat quod ſupra diximus accommodaſſe ſeſe eccleſiam politiae Imperii ciuili; fiebat enim illud pedetentim ſaltem et in plerisque: obtinebat etiam in eo, ut

Alexan-

Digitized by Google

Alexandrini Epiſcopi et Praefecti Auguſtalis 11) poteſtas iisdem coërceretur prouinciarum limitibus. Caeterum quamuis tum forte, ut uidetur, non niſi Metropolitanus fuerit Epiſcopus Alexandrinus, eum tamen inter Exarchos locum iure habentem, et X. conſpicuum ſub ſua dioeceſi Metropolitanis infra uidebimus.

1) Iam Conſtantini M. tempore Alexander, Alexandrinus Epiſcopus, conuentum habuit Aegypti et Libyae Epiſcoporum ferme centum, Vid. eius epiſtola encyclica apud SOCRATEM hiſt. eccl. lib. I.
2) SYNESIVS epiſt. LXXVI. Olbiae Epiſcopi mentionem faciens, locum illum uicum tantum fuiſſe dicit, populum enim *δῆμον κωμήτην, uici cuiusdam populum* appellat: Et epiſt. LXVII. refert quod Hydrax et Palaebiſca aliquando ſuum quaeque habuerint Epiſcopum, licet uici tantum Pentapolis eſſent.
3) EPIPHANIVS haer. LXVIII. n. 1.
4) IDEM haer. LXX. n. III.
5) SYNESIVS epiſt. LXVII. *Magnus ille Anaſtaſius quum exiguam adhuc orthodoxae fidei ſcintillam, quae in Ptolemaide erat, fouere et magis magisque accendere oporteret Siderium Epiſcopum Palaebiſcenſem, hominem maioribus rebus gerendis idoneum, eo commigrare iuſſit, ut metropolitanam eccleſiam gubernaret.*
6) Eccleſiaſtica enim prouincia non eſt quae non habet unum Metropolitanum et plures ſuffraganeos Epiſcopos, c. 2. VI. q. 3.
7) De ea TVLLIVS: *Aegyptiorum morem quis ignorat, quorum imbutae mentes prauitatis erroribus quamuis carnificinam prius ſubierint, quam ibim, aut aſpidem, aut felem, aut crocodilum uiolent.* Tuſc. quaeſt. Lib. V.
8) Allegatus a THOMASSINO de ant. et nou. eccl. diſc. P. I. l. I. c. VII. §. 6. Qualis autem primorum, ab Eutychio ſic dictorum, Patriarcharum fuerit dignitas diſce ex HIERONYMO: *Alexandriae a Marco Euangeliſta usque ad Heraclam et Dionyſium Epiſcopos, presbyteri ſemper unum, ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant.* Vid. c. 24. D. XCIII.
9) Vid. SOCRATES hiſt. eccl. Lib. III. cap. 2.
10) IDEM Lib. V. cap. 16.
11) Ita enim uocabatur qui Equeſtris ordinis uice Praefecti Praetorio

torio

Digitized by Google

torio Aegyptum adminiſtrabat. quia primum ab Auguſto inſtitutus, quum Aegyptum ſibi referuaret, DIONYSIVS HALIC. Lib. LIII. De eo agunt tituli Cod. et Digeſtis.

§. XIII.

Prouinciae quibus Epiſcopus Romanus praefuit utrum eccleſiaſticae quoque, an uero tantum ciuiles extiterint, ſiue utrum deſtitutae fuerint propriis Metropolitanis; quae plerorumque eſt ſententia: an uero tales quidem habuerint, et iis non obſtantibus Romanus Epiſcopus omnium per eas Epiſcoporum ordinationes peregerit; ut tuetur PETRVS de MARCA, (*) expendere huius non eſt loci. Nobis ſufficit ipſos illos, qui Metropolitanos per has prouincias admittunt, ſtrenue tueri, per omnes dictas prouincias Epiſcoporum ordinationes a Romano fuiſſe peractas: (**) Ita ut hoc intuitu potuerit merito eum inter et Alexandrinum comparatio inſtitui, dicique a Patribus Alexandrinum debere per prouincias Aegypti, Libyae et Pentapolis omnes ordinare Epiſcopos, uti per plures pariter prouincias ciuiles Epiſcoporum ordinationes facere conſueuit Romanus.

*) PETRVS de MARCA de Conc. Sac. et Imp. Lib. I. Cap. VII. §. IV. p. 39.

**) Confer. IDEM. loc. cit.

§. XIV.

Antiochenae, nec non aliis quibusdam eccleſiis, priuilegia quaedam fuiſſe, ſatis clare canon, quae et qualia, altum ſilentium: Quod enim haec eorum iura conuellere nemo hactenus praeſumſiſſet, eaque tum temporis inter omnes ſatis eſſent nota, ſuperfluum uiſum Patribus ſpeciatim ea recenſere. Egerat autem per diocceſim Orientis, cuius metropolis erat Antiochia, Theopolis interdum dicta, (*) religio chriſtiana citius longe quam per Aegyptum radices, ita ut per eam plurimi

E non

non Epiſcopi ſolum, uerum et Epiſcopis praeſidentes Metropolitani reperirentur. Talis erat Caeſarcenſis, cui metropolitanam poteſtatem in Hieroſolymitanum Epiſcopum exercendam reſeruat canon Nic. VII. 1) Prae illis autem omnibus caput extulerat Antiochenus. Patrocinabatur ipſi quod eccleſia eius erat apoſtolica, et in metropoli maxima conſtituta, ob chriſtianorum nomen, in ea primum exortum, celebri, et ex qua omnes orientalis dioeceſeos prouincias gubernabat Comes Orientis, Praefecti Praetorio Vicarius, cuius auctoritatem eam fuiſſe ſcribit ZOSIMVS, 2) ut omnibus prouinciis Orientis adminiſtrantibus praefuerit, et quaecunque non agebantur ut par erat correxerit, Praefecto Praetorio in curia Imperatorum plerumque interim commorante. Ad inſtar dicti Comitis Orientis Antiochenus quoque Epiſcopus non ſuae ſolum prouinciae Epiſcopis ut Metropolitanus, ſed totius dioeceſeos Metropolitanis ut Exarchus praeſidebat, eorumque peragebat ordinationem, ipſeque non ut ſimplex Metropolitanus a prouinciae, ſed a totius dioeceſeos Epiſcopis conſtituebatur, 3) idque ab antiquiſſimis et ipſum Nic. concilium antecedentibus temporibus, ita ut hoc ius cum reliquis inde dimanantibus canone VI. ipſi fuerit confirmatum. Eo enim gauiſum eſſe illum ſubſequentia proxime tempora edocent, quando uti primum coeperit memoriae nihil mandatum, unde dubio procul ante concilium Nicaenum ex moribus. Si enim poſtea demum illud arrogare ſibi uoluiſſet, minus patienter id tuliſſent Metropolitani, ſuam potius autocephaliam, ſi quam habuiſſent, moribus, hoc ipſo concilio antiquioribus, defendiſſent.

*) Vid. EVAGRIVS hiſt. eccl. l. I. c. 3. et ſubſcriptiones concilii gen. V.

1) Apud HARDVINVM T. I. p. 326. *Quia conſuetudo obtinuit*

tinuit, et antiqua traditio, ut Aeliae Epiſcopus honoretur, habeat honoris conſequentiam, ſalua metropoli propria dignitate.

2) ZOSIMVS Lib. V. hiſt.

3) Concil. Conſtant. ep. ad occid. apud THEODORETVM Lib. V. c. 9. *Antiquiſſimae uero ueraeque apoſtolicae Antiochenſium in Syria eccleſiae, in qua uenerandum chriſtianorum nomen primum innotuit, reuerendiſſimum et religioſiſſimum Flauianum, tum illius prouinciae, tum orientalis dioeceſis Epiſcopi in unum congregati, communi ſuffragio Epiſcopum ordinarunt, uniuerſa eccleſia communi conſenſu et quaſi uno ore eum honorante.*

§. XV.

Faciebant illud Epiſcopi Cyprii quum circa initium ſaeculi V. Conſtantienſis, Cypri Metropolitani, ordinationem perficere uellet Antiochenus, et aduerſus ipſum, ſibi dioeceſeos orientalis, ad quam pertinebat inſula Cyprus, adminiſtrationem eccleſiaſticam a concilio Nicaeno commiſſam eſſe, cauſantem allegabant ſe ipſos ſemper ſui Metropolitani ordinationem peregiſſe, eiuſque ideo praetenſionem innouationem eſſe. Cauſſam Antiochenus Innocentio Papae exponebat, qui ita reſcribebat: 1) *Reuoluentes auctoritatem Nicaenae ſynodi, quae una omnium per orbem terrarum explicat mentem ſacerdotum quae cenſuit de Antiochena eccleſia, cunctis fidelibus, ne dixerim ſacerdotibus, eſſe neceſſarium cuſtodire, qua ſuper dioeceſin ſuam praedictam eccleſiam, non ſuper aliquam prouinciam recognoſcimus conſtitutam. --Cyprios ſane aſſeris olim Arrianae impietatis potentia fatigatos non retuliſſe Nicaenos canones in ordinandis ſibi Epiſcopis et uſque huc habere praeſumtum, ut ſuo arbitratu ordinent, neminem conſulentes. Quocirca perſuademus eis, ut curent iuxta canonum fidem, fidem catholicam ſapere, atque unum cum caeteris ſentire prouinciis, ut appareat ſancti ſpiritus gratia ipſos quoque, ut omnes eccleſias gubernari.* Vigente adhuc controuerſia

ſia illa concilium Epheſi habebatur, ad quod Cyprii rem deferentes, querebantur *contra apoſtolicos canones et definitiones Nicaenae ſynodi ordinandi ius ad ſe rapere attentare Antiochenum, praeter canones et conſuetudinem, quae iam olim inualuit - - A ſanctis Apoſtolis nunquam poſſe oſtendi, quod adfuerit Antiochenus et ordinauerit - - ſed ſynodum ſuae prouinciae congregatae conſtituiſſe Metropolitanum.* Pronunciabat ad haec concilium: *Religioſiſſimus collega noſter Epiſcopus Rheginus eiuſque collegae etc. detulerunt ad nos rem quae praeter eccleſiaſticas conſtitutiones et ſanctorum Patrum canones innouatur, et omnium libertatem attentat. Quoniam igitur communia uitia maiorem et exquiſitiorem curationem requirunt, ut quae maius afferant incommodum, ſi ne mos quidem antiquus ſubſecutus eſt ut Epiſcopus, Antiochenorum ciuitatis ordinationes in Cypro adminiſtret, quemadmodum et ſcriptis, et uerbis docuerunt nos religioſiſſimi uiri, qui hac de re ſanctum concilium conuenerunt, obtinebunt illaeſum et inuiolatum ius ſuum, qui in Cypro ſanctis eccleſiis praeſunt, ut ſecundum canones ſanctorum Patrum, ac ueterem conſuetudinem ipſi per ſeſe ordinationes religioſiſſimorum Epiſcoporum adminiſtrent.* 2) Neque uero Antiochenus, neque Innocentius ad Nicaenum concilium prouocaſſent, niſi res inter omnes tum nota fuiſſet, haec ordinationum per dioeceſin orientalem iura a canone Nicaeno eccleſiae Antiochenae confirmata fuiſſe. Cauſſam etiam communem cum Cypriis feciſſent reliqui Orientis Epiſcopi ſtareque recuſaſſent ab Antiocheni auctoritate, niſi conuicti fuiſſent ex Nic. concilio, moribusque ſuas Eccleſias utique ſubordinatas eſſe eius cathedrae. Equidem contradictio uidetur quod e concilio Nicaeno Antiochenus et Innocentius illa in dubium uocata iura deducunt, Epheſini autem PP. rem hanc praeter

ter eccleſiaſticas conſtitutiones et ſanctorum Patrum canones innouari dicunt: Sed ſatis bene cohaerent ſi rite perpendantur. Antiochenus enim ex Nic. concilio ius ſuum tuetur, quod illud ipſi ab antiquo exercita per dioeceſin Orientis iura confirmauerat; neque negant illud Cyprii, ſed excipiunt tantummodo ſui Metropolitani ordinationem ab antiquo non eſſe ab eo peractam.

1) INNOCENTIVS epiſt. XVIII.
2) Conf. CONCILII EPHESINI Act. VII.

§. XVI.

Quod confirmata Antiochenae eccleſiae in can. VI. Nic. priuilegia inſpectionem in uniuerſam Orientis dioeceſin inuoluerint, HIERONYMVS quoque teſtis, cuius aetate de ſenſu canonis huius ſatis bene conſtare poterat. Quum enim uariorum incuſatus fuiſſet criminum Hieroſolymorum Epiſcopus Ioannes, deque illis ut ſe purgaret, ad Theophilum, Alex. Epiſcopum litteras dediſſet, inuehit in eum uir iſte ſanctus, ipſumque ex Nic. canonibus uel ad Caeſareenſem Palaeſtinae, uel ad Antiochenum, Orientis Metropolitam referre de illa re debuiſſe urget his uerbis: (*) *Tu, qui regulas quaeris eccleſiaſticas, et Nicaeni concilii canonibus uteris, et alienos clericos, et cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris uſurpare. Reſponde mihi ad Alexandrinum Epiſcopum Palaeſtina quid pertinet? Niſi fallor hoc ibi decernitur, ut Palaeſtinae metropolis Caeſarea ſit, et totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Caeſareenſem Epiſcopum referre debueras, cui ſpreta communione tua, communicare nos noueras, aut, ſi procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potius litterae dirigendae.*

(*) HIERONYMVS epiſt. LXI.

Digitized by Google

§. XVII.

Certi iam de priuilegiis eccleſiis Alexandrinae et Antiochenae a Nic. Synodo adiudicatis, reſtat, ut quae reliquae fuerint eccleſiae priuilegiatae diſpiciamus. Illas non fuiſſe alias quam Epheſinam, Caeſareenſem, et Heracleenſem perſuaſiſſimum habemus: Inter omnes enim eiusdem praefecturae ciuitates ad Alexandrinam et Antiochenam hae accedebant proxime. Erant non minus ac illae in metropolibus ſuae quaelibet dioeceſeos fundatae: Inſuper Epheſinam eccleſiam Apoſtolus Paulus primum, eiusque Epiſcopum Timotheum inſtituerat; 1) Ioannes etiam per plures annos Epheſi commoratus, ibi tandem diem obiit, unde ualde credibile ex Epheſo potiſſimum religionem chriſtianam ad uicinas prouincias perueniſſe, ſicque Epheſinam eccleſiam matrem fuiſſe plurium aliarum, qualem Caeſareenſem extitiſſe teſtatur GREGORIVS NAZIANZENVS. 2) Neque deerant per illas dioeceſes, in quibus ſitae erant Epiſcopi, uti ſubſcriptiones dicti concilii oſtendunt, quare diſciplina per eas quoque ſine dubio uiguit, decuitque PP. earum curam non minorem gerere, quam Aegyptiacae uel Orientalis. Et quod omnium maximum plus quam metropolitica dignitate dictae eccleſiae polluerunt, neque tamen eam poſt concilium Nicaenum demum acquiſiuiſſe, noſcuntur, quare ante eius celebrationem, et ex moribus illam habuiſſe et a laudato concilio confirmatam tuliſſe oportet.

1) HIERONYMVS Catal. ſcript. in Timotheo. *Timotheus Epheſiorum Epiſcopus, ordinatus a B. Paulo ex gentibus erat, non ex circumciſione.*

2) Orat. XX. et Epiſt. LXXIV.

Digitized by Google

§. XIIX.

Sic quum dignitatis maioris metropolitica indicium ſit, a plurium prouinciarum Epiſcopis conſtitui; eadem quoque praerogatiua Epheſinus Epiſcopus gauiſus eſt. Stephanus, quum contra canones eccleſiam Epheſinam Epiſcopus intraſſe argueretur, pro ſui defenſione allegabat, ſe a XL. Epiſcopis fuiſſe ordinatum. 1) Chryſoſtomus, quum in defuncti Antonini locum eidem eccleſiae alium praeficere uſurparet, id non niſi LXX. Epiſcopis ex Lydia, Aſia, et Caria conuocatis praeſumere auſus eſt. 2) *Extra ſubtilitatem canonum eſſe ſolum Epiſcopum diſponere eccleſiam, et maxime tantae metropolis*, uerba ſunt Olympii, Theodoſiopolis Epiſcopi, excuſantis ſe in concilio Chalcedonenſi, quod ui adactus inthronizationem Baſſiani Epiſcopi Epheſini ſolus peregiſſet. 3) Timotheo a Paulo non Epheſinam ſolum eccleſiam, uerum totam fere gentem Aſiaticam concreditam fuiſſe CHRYSOSTOMVS auctor eſt. 4) Et Polycrates, antiſtes Epheſinus iam ſaeculo II. in concilio omnibus Aſiae Epiſcopis praeſedit. 5) Quid quod tanta erat qua gaudebant olim Epheſini praeſules auctoritas, ut eam inter et quam Antiochenus, tum Patriarcha, habebat nullum putaret intereſſe diſcrimen EVAGRIVS, indeque patriarchicam diceret. 6)

1) Vid. CONCILIVM CHALCEDON. Act. XI.
2) IBIDEM.
3) IBIDEM.
4) CHRYSOSTOMVS hom. XV. in 1. Timoth.
5) EVSEBIVS Lib. V. c. 24. *Epiſcopis Aſiae, qui morem ſibi a maioribus traditum retinendum eſſe acriter contendebant, Polycrates praeerat.*
6) EVAGRIVS hiſt. eccl. Lib. III. c. 6. *Reddidit praeterea eccleſiae Epheſinae ius patriarchicum, quod concilium Chalcedonenſe ei ademerat.*

§. XIX.

§. XIX.

Caeſareenſes Epiſcopos plus quam uni prouinciae praefuiſſe Baſilii, Helladii et Euſebii Caeſareenſium Epiſcoporum exemplis diſcitur, quorum ille totius dioeceſeos Ponti Epiſcopos Caeſaream ad ſynodum conuocauit; 1) mortuo Ancyrano in Galatia Metropolitano de ſubſtituendo in eius locum ſucceſſore ſollicitum ſe geſſit; 2) ſua etiam auctoritate Colonienſem, in Armenia minori Epiſcopum, in dictae prouinciae metropolitanam Nicopolitanam eccleſiam tranſire permiſit. 3) Et Satalorum ciuitati eiusdem Armeniae Epiſcopum praefecit. (*) Neque hanc uſurpationem ſaltim eius fuiſſe dicere licet, eam enim adeo abhorrebat ſancti illius uiri indoles, ut intereſſe Iconienſis in Piſidia Epiſcopi ordinationi, inuitatus licet, quod eſſet transliminanea, aliquando dubitaret. 4) Helladius autem Gerontium, Ambroſii olim diaconum, in Metropolitam Nicomedienſem ordinaſſe; 5) et Euſebius uniuerſae dioeceſeos Ponticae ſynodum Tyanis celebraſſe 6) leguntur apud SOZOMENVM.

1) BASILIVS epiſt. CCXXXVI.
2) IDEM epiſt. LXVII.
3) IDEM epiſt. CCXCII.
(*) IDEM epiſt. LXXXVII.
4) IDEM epiſt. CCXCI.
5) SOZOMENVS Lib. VIII. c. 6.
6) IDEM Lib. VI. c. 12.

§. XX.

Quod de Heracleenſis Epiſcopi in Thraciae dioeceſin poteſtate uix ulla proſtant monumenta non eſt mirandum, quia haec dioeceſis in ſe continebat totius Imperii Romani metropolim, alteram Romam: unde quantum

Digitized by Google

tum maius lumen obfuſcare ſolet minus, tantum prae Heraclea, Thraciae metropoli, effulgebat Imperii totius metropolis, Conſtantinopolis; redundabatque inde in huius Epiſcopum auctoritas tanto fere prae Heracleenſi maior, quanto Vicarii poteſtas ab imperatoria maieſtate ſuperabatur. Vniuerſi Orientis, et multo magis Thraciae, Epiſcopi, quod apud Imperatores gratia pollerent Conſtantinopolitani, eorum demereri fauorem ſtudiis ſuis, ſubiectionibusque ſatagebant. Quin tamen aliquam prae Metropolitanis ſuae dioeceſeos auctoritatem maiorem habuerit Heracleenſis, dubitare non ſinit eius cum Exarchis reliquis communis in conciliis ſedendi inter Patriarchas et Metropolitanos locus, nomen adſcriptum Exarchi, nec non quod Conſtantinopolitanum concilium, quum dioeceſes diſtingueret, circa Thraciam nihil innouat, certiſſimo indicio, illam eadem prorſus ratione a ſuo Exarcho adminiſtratam fuiſſe ac reliquas: litteras etiam quum darent ad Leonem Auguſtum Anatolius, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, eas dedit ſolus, Ioannes Heracleenſis autem cum tota Europae ſynodo. In priſtinae dignitatis memoriam Heracleenſis Conſtantinopolitanum Epiſcopum etiam tum adhuc ordinaſſe uidetur, quum rerum in eccleſiaſticis per plures dioeceſes, hicce iam potiretur. (*)

(*) BALSAMON ad can. 3. Conc. CPtani, qui tamen aliunde hunc morem deducit: *Quod autem hodie ordinetur ſanctiſſimus pro tempore Patriarcha Conſtantinopolitanus, ab eo, qui eſt pro tempore Heracleae Metropolitanus, non eſt aliunde, quam ex eo, quod ſubiecta fuerit Perinthiis ſiue Heracleanis Byzantina ciuitas.* Quum aliquando gratia Imperatoris excidiſſet Heracleenſis Metropolitanus, eius loco in Patriarcham Conſtantinopolitanum Polyeuctum ordinauit Caeſareenſis referente ZONARA annal. tom. III.

§. XXI.

Sententiae, eminentiora quam metropolitica iura a canone VI. Nic. innui, obiici ſolet, quod circa illud tempus Metropolitanorum unice fiat mentio, neque hierarchia eccleſiaſtica ultra eorum gradum ea tempeſtate excreuiſſe uideatur, quamuis inter omnes Metropolitas tres illi, Alexandrinus, Romanus et Antiochenus dignitate et honore praeeminuerint, propter dignitatem ciuitatum et prouinciae ſuae eccleſiaſticae magnitudinem. 1) Verum quod circa illud tempus ſuperbum Exarchi cognomentum nondum in eccleſia exaudiretur factum, quia primorum eorumque, qui Nicaeae conuenerant, Epiſcoporum mens non erat nec ulla cogitatio regimen aliquod et hierarchiam ſtabilire talem, qualem ſubſequentia mirata ſunt ſaecula, et quum quaſi inanimaduertentibus illis eueniret, ut alii Epiſcoporum alios colere et ab iis pendere aſſueſcerent, id quidem fieri admittebant, confirmabant etiam, quod proſpicerent ſubordinationem talem Epiſcoporum inter ſe e re eccleſiae, et impedimento eſſe poſſe pernicioſae propagationi tot ſuborientium ſchiſmatum atque haereſium: Aſt nolentes ut ſuperbiae, ambitioni, aemulationi inter Epiſcopos inde uia ſterneretur, ſtudio abſtinebant a tribuendo ſibi in conciliis titulo, qui faſtum ſapere uideri posſet. Neque certo affirmauerim Antiochenum, Epheſinum, Caeſareenſem et Heracleenſem Exarchi nomine tum iam, et quidem unice, decoratos fuiſſe. Non meminimus Exarchi titulum in ullis eccleſiaſticis monumentis ante concilium Sardicenſe de A. CCCXLVII. legiſſe, in cuius canone VI. Metropolitanus Epiſcopus eo uenit nomine: 2) iam tum tamen ſuperiores, ſiue eos Metropolitanos, qui in caeteros habebant auctoritatem

etiam,

etiam, et ſaepius quidem ita uocitatos fuiſſe colligimus ex iterata explicatione, quem per Exarchum intellectum uelint PP. dicti concilii, non enim ſufficit ipſis addidiſſe τῆς ἐπαρχίας ad diſtinguendum eum ab Exarcho diocceſeos, ſed quod adhuc confuſionem cum his metuerent ulterius ſe explicant uerbis: λέγω δὴ τȣ̃ ἐπισκόπȣ τῆς μητροπόλεως. Poſt hanc Sardicenſem ſynodum usque ad Chalcedonenſe concilium Exarchi nomen ſimplicibus Metropolitanis nullibi adſcriptum eſt, potius PP. Chalcedonenſes per Exarchos, nullos intelligunt, niſi qui dioeceſibus praeſidebant, et hoc nomine ſoli ea tempeſtate ueniebant, quamuis ob inuſtam huic titulo a Patribus Afris notam rarius in conciliorum canonibus ita dicerentur. Quod autem dicitur eccleſiaſticam hierarchiam ultra Metropolitanorum gradum nondum adſcendiſſe, refellitur ex iis, quae de Antiocheni iuribus in dioeceſin orientalem in medium fuerunt prolata. Et quamuis de reliquis innominatis eccleſiis tam luculenta non proſtent circa illud tempus teſtimonia iurium eorumdem exarchicorum, inde tamen ad negandum eorum exercitium non ualebit conſequentia, quum eas pleraſque circumſtantias, quae Antiochenam eccleſiam extulerunt, iisdem fauiſſe in confeſſo ſit, et non multo interiecto tempore iidem Antiocheno pares, aut non multum inferiores, deprehendantur. Fruebantur iuribus ſuis nemine contradicente, et patrocinante ipſis longa annorum, quibus poſſederant, ſerie, tanto iuſtae poſſeſſionis praeiudicio; propter id ipſum vero, quia nemo erat qui cum iis de iuribus contendere uoluiſſet, neque notitia eorum exacta ad nos peruenit: Namque maximam ſane partem de ſubordinatione Epiſcoporum priſcorum inter ſe ignoraremus niſi fuiſſent, qui ſe ſubtrahere ſubiectio-

iectioni aliorum, aut affectare poteſtatem in alios uoluiſſent. Et quid quaeſo opus hoc canone Metropolitanis iura ſua confirmare, quae iam canone IV. erant ſtabilita? Quae etiam et qualia ipſis confirmari ulterius potuiſſent, quum inſpectio in ordinatos a ſe Epiſcopos, eorumque ad ſynodum conuocatio etc. ex peracta ordinatione fluerent? Interim ea non eſt mens noſtra Exarchos illos, inprimis Epheſinum, Caeſareenſem et Heracleenſem concilii Nicaeni tempore iam pleno in uniuerſam quemlibet dioeceſin iure eſſe potitos, infra occurret, primos in eccleſia dioeceſium limites a Conſtantinopolitano concilio fuiſſe poſitos, ſed coeperant tamen iam tum a Metropolitanis ſimplicibus ſeſe diſtinguere, poſſuntque inde tum extitiſſe dici, quamuis exiſtere minus perfecte primum coepiſſent.

1) CHRISTOPHORVS IVSTELLVS ad can. VI. Nic. in Bibl. iur. ant. p. 71. Πρεσβεῖα *quae Antiochenae eccleſiae ſeruari his canonibus praecipiuntur, eo pertinent, ut Epiſcopus Antiochenus praeferatur Metropolitanis omnibus in orientali dioeceſi. Nihil iuris illi attributum in caeteros Metropolitanos, praeter honorem ordinis, non autem ut Metropolitani omnes dioeceſeos Orientis ab eo iure ſingulari ordinarentur, ut Innocentii I. epiſtola ad Alexandrum Antiochenum aſſerere uidetur contra mentem ſynodi Nicaenae.*

2) Vid. ſupra §. III. p. 4.

§. XXII.

Neque in mera honoris praerogatiua 1) horum Exarchorum πρεσβεῖα illa tempeſtate conſtitiſſe, praeter ea, quae de iuribus illorum poteſtatis ſunt dicta, iudicare ex eo quoque licet, quod quum conſuetudo inualuiſſet ut Hieroſolymorum Epiſcopus, tali honoris priuilegio, quod illis affingitur, etiam ſupra proprium Metropolitanum Caeſareenſem gauderet, Patresque Nicaeni illud

ipſi

Digitized by Google

ipſi iuris confirmare uellent, forte ne priuatus eo uideretur, ſi caeterorum antiſtitum praerogatiua confirmata, ſuae non fieret mentio, illud in peculiari canone faciunt(*) Id quod factum non fuiſſet, ſi eum inter et Exarchos can. VI. commemoratos ratione iurium nulla fuiſſet differentia; meminiſſent eius PP. diſertis uerbis una cum Antiocheno in canone VI., aut ne hoc quidem habuiſſent opus, quum pro adſtruendo ſuo iure, ſi quis poſthac in dubium uocaſſet allegare potuiſſet quae de priuilegiis, in aliis prouinciis eccleſiis ſeruandis, in canone VI. ſunt ſtatuta. Sed quia diuerſa plane erant utrorumque πρεσβεῖα, Antiocheni et reliquorum cum poteſtate in alios coniunctis, Hieroſolymitani uero in mero honoris primatu conſiſtentibus, utraque in diuerſis pertractare oportuit canonibus.

*) CONCILII NICAENI canon VII. apud HARDVIN. T. I. p. 326. *Quia conſuetudo obtinuit, et antiqua traditio, ut Aeliae Epiſcopus honoretur, habeat honoris conſequentiam, ſalua metropoli propria dignitate.*

§. XXIII.

Eminentiora metropoliticis et uerae poteſtatis priuilegia, eſſe quae canone VI. eccleſiis confirmantur, plures conſentiunt, ſed quod Exarchis talia unquam iura competiiſſe agnoſcere nolunt, et tres expreſſe nominatas eccleſias, Alexandrinam, Romanam et Antiochenam patriarchicas fuiſſe norunt, malunt canonem hunc de iuribus patriarchicis interpretari. Eminet inter eos Valeſius, ſed ipſi et huius ſententiae fautoribus obiicit Du PIN 1) quod *ſi de his iuribus ageretur, nullae aliae commemorarentur eccleſiae, praeter Romanam, Alexandrinam, et Antiochenam, quum nullae aliae tum temporis fuerint quibus id iuris competeret:* Exiſtimat ideo canonem hunc *de iure quidem qui Metropolitano ſuperior ſit intelligendum, ſiue*

ſiue de iure exarchatus Alexandriae et Antiochiae, quod olim patriarchicum fuerit dictum, non autem de iure patriarchico prout nunc accipitur. Recte autem eum notat illuſtris BOEHMERVS 2) ceu parum ſibimet ipſis conſtantem, neque certi aliquid definientem, tuitus ſiquidem ipſe ſupra fuerat et §. IV. eiusdem diſſertationis, titulum Exarchi non peculiare officium denotaſſe, ſed praedicatum commune fuiſſe, illis maxime tributum, qui primatum quendam honoris inter caeteros Epiſcopos habuerint. Interim bene aduertit Du PIN, tum eos dici Patriarchas in eo ſenſu non poſſe, in quo titulus hic poſtea obtinuit, conſentitque nobiſcum in eo, de iure exarchatus huncce canonem eſſe intelligendum: Quod autem hoc patriarchicum olim fuiſſe dictum ſcribit, abſque fundamento aſſerit; immo Patriarchae nomen recentius, et tum in uſu nondum fuiſſe affirmat ipſe eodem paragrapho.

1) De ant. eccl. diſc. Diſſ. I. §. ult. pag. 85.
2) In ſelectis obſeruationibus eccleſiaſticis ad P. de MARCA Concordiam ſac. et imp. eiuſque Lib. I. Cap. III. §. 6.

§. XXIV.

Quodſi itaque canonem VI. de Exarchorum iuribus agnitis et confirmatis interpreteris omnis penitus tollitur circa intellectum eius difficultas. Comparantur a concilio inter ſe Alexandrinus atque Romanus, illudque intuitu plurium prouinciarum, quibus uterque praeeſt, et quarum Epiſcoporum peragit ordinationes. Conueniunt eorum cathedrae cum Antiochena, Epheſina, Caeſareenſi et Heracleenſi in eo, quod iura ſua praecipua antiquis moribus debent. Seruantur hiſce priuilegia eadem, quum iisdem plane gauderent; non uero

Digitized by Google

uero metropoliticis, quandoquidem in Metropolitanos auctoritatem exercebant; neque tamen patriarchicis, quum praedicatum hocce eo aeuo adhuc ignoraretur, et inter patriarchales eccleſias locum Epheſina, Caeſareenſis et Heracleenſis nunquam habuerint; queis igitur aliis? non niſi exarchicis. Neque offendere nos debet, quod tamen Antiochenus praeſul Patriarcha plerumque dicitur; illud enim ad finem uergente ſaeculo V. primum fieri coepit, quum ante hoc tempus non minus ac Epheſinus, Caeſareenſis et Heracleenſis Exarchi titulo eſſet contentus, eoque in Patrum conuentibus ſolennibus uenire ſoleret. (*)

(*) E. g. in CONCILIO BERYTENSI cuius acta referuntur act. X. concilii Chalced. apud HARDVINVM T. II. Ibas Edeſſenus Epiſcopus eum aliquoties Exarchum ſuum appellat: ἐξηκολέθησα τῷ Ἐξάρχῳ μου, et p. 258. κἀγὼ μετὰ τοῦ Ἐξάρχου μου, καὶ τῆς ἀνατολικῆς συνόδου ἀπηντήκειν αὐτῷ. Et in CONCILIO ANTIOCHENO relato Act. XIV. Conc. Chalc. IBIDEM p. 591. Epiphaniae Epiſcopus Stephanus de Athanaſio Perrhenorum quondam Epiſcopo dicit: καὶ διὰ τοῦτο πάλιν ὑπό τε τοῦ Ἐξάρχου τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως κληθεὶς, καὶ τῆς ἀθροισθείσης ἁγίας συνόδου κ. τ. λ.

§. XXV.

Exercuerant hactenus Exarchi iura ſua et auctoritatem plerumque per integram quilibet dioeceſin ciuilem, cuius tamen limites in preſſa, et ſub perſecutionibus gemiſcente eccleſia ſemper et ubique ſtricte ſeruari haut potuerant. 1) Id uero quum lites et ſimultates parere inter Epiſcopos, iam pro amplificanda auctoritate et poteſtate ſua magis ac olim laborantes, et turbare pacem in eccleſia poſſe uideretur; e contrario ratio ac experientia docerent, non male conſultum eſſe eccleſiae, ſi ad normam Imperii politiae ſuam quoque efformaret,

maret, Patres in concilio Conſtantinopolitano A. CCCLXXXI. congregati diſtributionem praefecturae orientalis per dioeceſes in eccleſiam expreſſe recipiunt, ita ſancientes: 2) *Qui ſunt ſuper* 3) *dioeceſim Epiſcopi nequaquam ad eccleſias quae ſunt extra praefixos ſibi terminos; accedant, nec eas hac praeſumtione confundant, ſed iuxta canones Alexandrinus Epiſcopus, quae ſunt in Aegypto ſolummodo, et Orientis Epiſcopi Orientem tantum gubernent, ſeruatis priuilegiis quae Nicaenis canonibus eccleſiae Antiochenae tributa ſunt. Aſianae quoque dioeceſis Epiſcopi, ea ſolum quae ſunt in Aſiana dioeceſi diſpenſent. Nec non Ponti Epiſcopi ea ſolum quae ſunt in Ponto; et Thraciarum, quae in Thraciis ſunt gubernent. Non uocati autem Epiſcopi ultra ſuam dioeceſim non accedant propter ordinationes faciendas uel propter alias diſpenſationes eccleſiaſticas, etc.* Primum hoc eſt omnium concilium quod nomenclatura dioeceſis utitur, primum etiam quod eius adminiſtrationem reddidit abſolutam, 4) ita ut ex hoc tempore Exarchos ſingulos ſuper dioeceſin fuiſſe conſtitutos recte dicatur.

1) SOCRATES hiſt. eccl. Lib. V. c. 8. de concilio Conſtantinopolitano loquens ait. *Sed et Patriarchas conſtituerunt, prouinciarum diuiſione facta, ita ut nullus Epiſcopus ultra propriam dioeceſin alienas eccleſias inuaderet. Id enim antea propter perſecutiones promiſcue factum fuerat.* SOZOMENVS refert Lib. VII. c. 3. et 7. Meletium, Orientis Epiſcopum, Conſtantinopolim profectum, ibique inter alios ad Conſtantinopolitanam ſedem Gregorium Nazianzenum ordinaſſe, et cap. 19. Petrum Alexandriae Epiſcopum Conſtantinopolim miſiſſe Epiſcopos qui Maximum Cynicum Epiſcopum ibi inaugurarentur.

2) Canone II. apud HARDVIN. T. I. p. 810. Et c. 8. et 9. IX. q. 2.

3) Multiplex habetur huius canonis uerſio, in textu graeco legitur: *Οἱ ὑπὲρ διοίκησιν ἐπίσκοποι*, quod alii uerterunt: *Epiſcopi ultra dioeceſim in eccleſias ſuos terminos non excedant, etc.* ISIDORVS MERCATOR: *Epiſcopi qui extra dioeceſim ſunt,*

ad

ad eccleſias quae extra terminos eorum ſunt non accedant. Nos DIONYSII uerſionem ſecuti ſumus.

4) Dioeceſium diuiſio a PLATINA, BARONIO, aliisque eiusdem notae uiris, primis Epiſcopis Romanis, Clementi, Anacleto, Euariſto, atque Dionyſio adſcribitur, eumque in finem allegantur epiſtolae Anacleti II. c. I. D. XCIX. Dionyſii c. I. XIII. q. I. et plenius apud DVARENVM de ſacr. eccl. miniſt. Lib. I. c. 7. Clementis epiſtola I. aliaque eiusdem farraginis; Sed quum has omnes recentioris eſſe aetatis inter eruditos dudum conuenerit, et earum ante A. DCCCXXX. ullam nullibi inueniri mentionem in Pſeudo-Iſidoro probauerit BLONDELLVS, ipſi etiam pontificii parum in earum fidem fiduciae collocent, confer. BELLARMINVS de Rom. Pont. lib. II. c. 18. HINCMARVS Archiepiſcopus Rhemenſis in epiſt. ad Morum Lugdunenſem Epiſcopum apud FLODOARDVM lib. III. c. 22. P. de MARCA lib. III. c. 5. minus nos habet teſtimonium eorum ſollicitos.

§. XXVI.

Quod uero Orientalis, Aſiana, Pontica et Thracica dioeceſes ſuis quaelibet Epiſcopis in plurali numero gubernandae aſſignantur, et neque Epheſino, Caeſareenſi et Heracleenſi Epiſcopis aliqua ex concilio Nicaeno deſcendentia priuilegia, uti Antiocheno, ſeruantur, neque iis nominatim cuilibet ſua dioeceſis, uti Aegyptiaca Alexandrino committitur, ea quae de diſtincto gradu horum trium Exarchorum dicta ſunt, deſtruere nondum poſſunt. Siquidem Patribus tum non propoſitum erat eorum iura confirmare, id quod ſuperfluum fuiſſet, iis iam olim a Nicaeno concilio agnitis, et nemine exiſtente qui de iis dubitaret: Verum determinare ſaltim uolebant, quouſque exercitium iurium illorum ſeſe extendere, et quibus finibus ſe continere debeat, inde non iura Exarchorum ſed dioeceſes enumerant, habitoque reſpectu ad ſynodum dioeceſanam, cui omnes dioeceſeos Epiſcopi intererant, et emergentia quaecunque eccleſiaſtica negotia expediebant 1) illas Epiſcopis collectiue ſum-

tis attribuunt, quo ipſo tamen non excludunt Exarchorum iura, intra dioeceſin, et uel in ipſa ſynodo conuocanda, eique praeſidendo, exercenda. 2) Alexandrino autem Epiſcopo ſoli totam Aegyptum gubernandam committere propterea decebat, quod is auctoritate in eam omnes alios Exarchos ſuperaret, non ſolum omnium Epiſcoporum, et forte etiam aliorum miniſtrorum ordinationes peragendo, uerum Epiſcopis quoque ab ipſius arbitrio pendere adeo obſtrictis, ut abſque eius conſenſu, et uacante ſede Alexandrina, quicquam decernere iis non liceret. 3) Tanta reliquorum in ſuis dioeceſibus quum non eſſet poteſtas, neque ipſi ſoli eas gubernare iubentur. Antiochenum quidem in orientali dioeceſi prae aliis Exarchis, ui Nicaenorum canonum quid habuiſſe praecipui indicare canon hicce uidetur; ſed quum potiorum eius iurium ueſtigia nulla plane inuenire liceat, 4) exiſtimauerim potius his uerbis alia indigitari nulla quam quae cum caeteris habebat communia; quod autem his ſua non itidem uti Antiocheno priuilegia ſeruantur Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum machinationibus eſſe adſcribendum, quippe qui illos tres Exarchos eorumque dioeceſes ſuae eccleſiae ſubiicere iam tum meditantes, non abs re iudicabant fore ut ipſorum conatibus et uſurpationibus fortius, et maiori cum ſpecie reſiſterent, ſi huius concilii recenti confirmationi inniti potuiſſent. Non enim deterruiſſe Conſtantinopolitanos generale huius canonis praeceptum, ne non uocati Epiſcopi ad alienas dioeceſes accedant, ea quae mox erunt dicenda docebunt.

1) Vocabantur uero tales Epiſcoporum ex pluribus prouinciis congregatorum conuentus ante dioeceſium diſtinctio quam in eccleſiam reciperetur *maiores ſynodi*, conf. can. XII. CONCILII ANTIOCHENI de A. CCCXLI. apud HARDVINVM T. I. p. 597. Equidem THOMASSINVS de ant. et nou. eccl. diſc. P. I. L. I. C. III. §. 8. maiorem ſyn-

odum

Digitized by Google

odum eam ibi dici putat, ubi, ſecundum canonem XIV. eiusdem concilii, de condemnatione alicuius Epiſcopi comprouincialibus Epiſcopis diſſidentibus Metropolitanus e uicina prouincia alios conuocabat, ſimul cum prouincialibus iudicaturos: ſed falli ipſum et canonem XII. per XIV. non eſſe interpretandum diuerſi prorſus caſus, de quibus ambo diſponunt, ſatis oſtendunt, et clarius, quae ſit dicta olim maior ſynodus, explicat CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM can. VI. Tom. I. p. 811. edit. HARDVIN. *Quodſi euenerit ut prouinciales Epiſcopi crimina, quae Epiſcopo intentata ſunt, corrigere non poſſent, tunc ipſos accedere ad maiorem ſynodum dioeceſis illius Epiſcoporum, pro hac cauſſa conuocatorum etc.* Neque tamen in his inſtituendis maioribus ſynodis ſeruati ſunt ſtricte dioeceſium limites. Conſtitiſſe eas ex LXXII. Epiſcopis, qui rotundo numero LXX. fuerint dicti ad inſtar LXX. Seniorum in populo Iudaico et LXX. diſcipulorum in eccleſia, his autem ſucceſſiſſe Cardinales eccleſiae Romanae, auctor eſt MOTTA in diſſ. de metropolitico iure §. CXV. p. 143.

2) De confirmatis ſingulorum Exarchorum iuribus cepit hunc canonem IOSEPHVS Aegyptius in paraphraſi canonum Arabica, quam inſeruit collectioni concilior. HARDVINVS T. I. p. 819. Ibi canon iſte, ex interpretatione BEVEREGII ita legitur: *Nullus Epiſcopus dioeceſeos ſuae, in qua conſtitutus eſt terminos transgrediatur, deſiderio arripiendi quod ſibi iure non conuenit, et eccleſias, quae ſunt ultra ſuos limites. Hoc enim exitio erit eccleſiis easque corrumpet. Verum enim uero haec res iuxta legem antiquitus inſtitutam procedat, nimirum ut Epiſcopus Alexandriae omnes Aegypti prouincias regat, et Epiſcopus Orientis omnes Orientis prouincias adminiſtret, conſeruatis interim primatu et honore primis Epiſcopis a concilio Nicaeno conceſſis, et ut tam Antiocheni quam Aſiani ab Epiſcopis ſuis gubernentur. Et ſic etiam Pontum ſuus adminiſtret Epiſcopus, et prouinciae Thraciae a proprio etiam Epiſcopo adminiſtrentur, et ne tranſiliant terminos ipſis conſtitutos, et ex ſuis prouinciis in aliorum terminos tranſeant ad aliquam eccleſiaſticam adminiſtrationem, aut ordinationem ibi celebrandam, aut ad quodcunque aliud eccleſiaſticum negotium, ſed obſeruetur regula, quae de prouinciarum praefectura ſcripta eſt etc.*

3) Vnde quum in concilio Chalcedonenſi, qui ei intererant Epiſcopi Aegyptii ſubſcribere epiſtolae Leonis, et anathema denuntiare Eutychi eiuſque erroribus deberent, excuſarunt ſe id

id facere, donec nouus conſtitutus fuerit Alexandriae Archiepiſcopus: *Petimus ueſtram ſublimitatem et hanc ſanctam et magnam ſynodum ut miſereamini noſtrum et expectetis noſtrum Archiepiſcopum, ut ſecundum antiquam conſuetudinem illius ſequamur ſententiam. Quia ſi extra uoluntatem praeſidis noſtri aliquid faciamus, ſicut praeſumtores, et non ſeruantes ſecundum canones antiquam conſuetudinem, omnes Aegyptiacae regiones inſurgent in nos. Ergo miſeremini noſtrae ſenectutis, miſeremini, et non nos faciatis in peregrinatione noſtram uitam conſumere.* Vid. Act. IV. CONC. CHALCEDONENSIS.

4) INNOCENTIVS I. quidem epiſt. XIIX ad Alexandrum Antiochenum ita reſcripſit: *Arbitramur, frater cariſſime, ut ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic et caeteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum recte ſeruabis, ut longe poſitos litteris datis ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantum ordinant arbitratu. Vicinos autem ſi aeſtimas ad manus impoſitionem tuae gratiae ſtatuas peruenire. Quorum enim te maxime expectat cura, praecipue tuum mereri debent iudicium.* Sed uidetur hoc conſilium magis eſſe quam teſtimonium, Antiochenum ad inſtar Alexandrini, Epiſcoporum etiam ordinationes perfeciſſe. Indulſiſſent quoque, ſi Antiochenus habuiſſet, idem iuris Conſtantinopolitano PP. Chalcedenenſes, qui tamen tres ei dioeceſes ſubiicientes, illud Metropolitanis earum dioeceſium ſecundum, ut aiunt, diuinos canones, expreſſe reſeruant can. XXIIX. CONC. CHALCED.

§. XXVII.

Inceſſerat nempe iam tum Conſtantinopolitanorum praeſulum animos aemulatio et deſiderium ſummum in eodem faſtigio in Orientis partibus ſe uidere collocatos, in quo per Occidentis plagam Romanos Epiſcopos conſtitutos mirabantur. Addebat ſtimulum occaſio quam ſibi maxime fauentem experiebantur. De ſplendore et dignitate urbis, quae contribuere ad extollendas eccleſias plurimum ſolebant, dicere aliud non opus, quam fuiſſe priſcum Byzantium nouam Romam, ſuperaſſe autem antiquam in eo, quod quum haec olim, illa nunc

eſſet

Digitized by Google

eſſet Imperatorum regia ſedesque ordinaria. 1) Hoc unum abunde compenſabat Conſtantinopolitanae eccleſiae, quicquid ratione antiquae, aut apoſtolicae fundationis, iuriumque ex antiquis moribus exercitorum ipſi decederet. Solebant Epiſcopi, quotiescunque uel eccleſiae ſuae, uel perſonae etiam, quicquam contingeret aduerſi ad Imperatoriam maieſtatem ſeſe conuertere ac eius ſollicitare auxilium; ipſique illi quos admiſſorum criminum reatus arcere a conſpectu Imperatoris debuisſet, eius tamen flagitare opem ne tum quidem erubeſcebant, quum propter illa a ſua ſynodo iam eſſent condemnati. 2) Et eorum in Conſtantinopolitana urbe tot una ſaepius diuerſabantur, ut ad ſynodum conſtituendam ſuffecerint. 3) Nullus autem ex iis erat, qui non Conſtantinopolitani Epiſcopi fauorem et patrocinium aucupari, inſimul quam poſſet maxime ſtuderet, non abs re confidentes fore, ut uotis citius et facilius fierent compotes, ſi illum a ſuis partibus ſtantem, rerumque ſuarum promotorem nacti fuiſſent. Poſtquam Baſſianus in Epheſinam cathedram contra canones et ui ſe intruſiſſet, Imperatoris tamen confirmationem ſuae inſtitutionis ambiret, ad eum per Proclum Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſe deduci curabat. 4) Clerici Edeſſeni Epiſcopum ſuum apud Imperatorem accuſaturi, uno eodemque tempore ad Conſtantinopolitanum quoque Epiſcopum cauſſam ſuam deferebant. 5) Immo tanta eius erat auctoritas, ut *cum Imperatore pariter decernere et diſponere* diceretur, in libello eorundem concilio Berytenſi porrecto. 6) Nectarium CPnum Ambroſius Mediolanenſis litteris ad eum datis rogabat, ut Gerontium Nicomedienſem Metropolitam, ab Helladio Caeſareenſi Exarcho conſtitutum et ordinatum, ſede de-

 lice-

iiceret. 7) Fiebat uero hac ratione, ut cuius fauorem et gratiam, aliquando cum propriae dignitatis diſpendio, 8) omnes captabant, omnium quaſi tacito ſuffragio pedetentim extolleretur, tantique haec reputaretur cathedra, ut non Nicomedienſem ſolum metropolitanam Euſebius, uerum et Antiochenam exarchalem eidem poſthaberet Eudoxius. Proprium, cui tamen ſubiectus erat, Exarchum Heracleenſem ſuperaſſe auctoritate iam tum uidetur, quum Arrii noua dogmata eccleſiam turbarent, de eo enim non ad Heracleenſem forte, ſed ad eius ſuffraganeum CPnum litteras dirigebat Alexander Alexandrinus. 9) Afri PP. in concilio Carthaginenſi VI. *ueriſſimos canones ex authentica ſynodo apud Nicaenam ciuitatem a Patribus conſtitutos* inquirentes, eos a Romano, Alexandrino, Antiocheno, et CPno ſub fidei adſtipulatione communicari ſibi petunt. (*) Et qui a Nicaeno reliqua perluſtrauerit concilia, plura deprehendet, quanta in exiſtimatione CPni Epiſcopi fuerint, ueſtigia.

1) Conſtantinopoleos Epiſcopo ex eo, quod eſt regia ciuitas praerogatiuam comparari non poſſe prolixe perſuadere ſatagit GELASIVS Papa in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniae apud HARDVINVM T. II. Concilior. p. 912. ſed eo minus fidem meretur, quo magis prodit, quantum ipſius, ut hoc credatur, interſit.

2) Conf. can. XII. CONC. ANTIOCHENI de A. CCCXLI. apud HARDVIN. T. I. p. 597. morem illum ſerio prohibens.

3) *Tenuit pridem conſuetudo, ut qui in magna hac ciuitate morantur ſanctiſſimi Epiſcopi, quum eos temporis occaſio uocat de emergentibus quibusdam eccleſiaſticis cauſſis conueniant, ac ſingula definiant, reſponſoque eos dignentur, qui precantur aliquid. Nihil ergo a me factum eſt, quod nouitati ſit affine, nec qui ex conſuetudine conſederunt ſanctiſſimi, qui in ciuitate erant, Epiſcopi nouam formam protulerunt*, Anatolius CPnus ait in CONCILIO CHALCEDONENSI ut iudicibus et concilio cauſſam ſuam aduerſus Photium approbaret. Et quum ibidem quaereretur, *an ſynodum appellare oporteat conuentum Epiſcoporum,*

qui

qui in regia ciuitate diuerſantur? Tryphon, Epiſcopus Chii ſtatim reſpondet: *Synodus appellatur, et conueniunt, et laborantes aliqua oppresſione ſua iura nanciſcuntur.*

4) Ipſo referente in CONCILIO BERYTENSI relato Act. X. CONC. CHALCEDONENSIS.

5) IBIDEM, Imperatorem eos adiiſſe Damaſcius, ait Tribunus et Notarius diuini palatii, CPoleos Epiſcopum uero Eulogius Diaconus Conſtantinopolitanus.

6) IBIDEM: *Oportuit nos et piisſimum atque chriſtianisſimum pro iis Principem deprecari. Ex hoc ergo et ſanctisſimo Archiepiſcopo Flauiano pariter decernente, et cum piisſimo noſtro Principe diſponente etc.*

7) SOZOMENVS Lib. VIII. c. 6.

8) Sic omnium intererat orientalium Epiſcoporum, quo minus nimium excreſceret CPnorum Epiſcoporum auctoritas, et tamen, quum in Chalcedonenſi conſilio acta Epheſini concilii relegerentur, inque iis Flauianus CPnus poſt Hieroſolymitanum et Antiochenum nominaretur, orientales Epiſcopi clamant: *Flauianus in proprio loco quare non ſedet, CPnum Epiſcopum quare quintum poſuerunt?*

9) Quas uide inter literas concilium Nicaenum antecedentes apud HARDVINVM.

(*) Vid. CONCILII CARTHAGINENSIS VI. Bonifacii P. celebrati can. V. et IX. Reſcripta de hac re Cyrilli Alexandrini et Attici CPni uide cap. CII. CIII. et CIV. CONCILII AFRICANI eiusdem Bonifacii tempore coacti.

§. XXX.

Quae omnia magis magisque eos incitabant ad praefixam metam, qua ad inſtar Romani Epiſcopi dominari in Oriente uolebant, tandem perducere machinationes ſuas. Ne autem exoſum uſurpationis nomen ipſorum attribueretur conatibus, curandum erat ut concilium aliquod ſuum iis adderet calculum. Horum recepta conſuetudo usque huc fuerat, ut plerarumque ſuarum ſanctionum auctoritatem ex conciliis antecedentibus, aut etiam antiquis moribus repeterent; ſed neutrum horum Conſtantinopolitano adſtipulante, per gradus

dus eundum erat, contentusque eſſe debebat aliqua ſaltim a PP. Conc. CPni de A. CCCLXXXI. adiudicata praerogatiua, loco nempe et ſeſſione in conciliis proxime poſt Romanum, et ante reliquos Exarchos omnes, idque quod urbs illa noua Roma: *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat prioris honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, eo quod ſit noua Roma.* 1) Mox huius priuilegii poſſeſſionem cepit, idem qui huic concilio interfuerat CPnus Epiſcopus Nectarius, quum enim Agapius et Gabalius de Boſtrorum metropoli prouinciae Arabicae dioeceſeos Antiochenae contenderent in ſynodo CPna A. CCCXIV. primus, et ante Alexandrinum, Antiochenum et reliquos ſedit, ſententiamque dixit. Agnita quoque haec ipſius praerogatiua a Romani Epiſcopi legatis in concilio Chalcedonenſi, 2) quamuis poſtea in eodem concilio illam noſſe diſſimularent. 3)

1) Can. 3. CONCILII CONSTANTIN. de A. CCCLXXXI. apud HARDVIN. T. I. p. 810. et c. 3. D. XXII. Suppoſititium hunc eſſe canonem poſt tot praeterlapſa ſaecula primus et unus omnium uidit BARONIVS ad A. CCCLXXXI. n. 35. et 36. et ad A. CCCLXXXII. n. 16. eius uero rationes ut decet examinat M. ANT. de DOMINIS de R. E. Lib. IV. cap. IV. n. 3. et 4.

2) Act. I. quum conciliabuli Epheſini acta relegerentur, et Flauianus Conſtantinopolitanus quintus recenſeretur, Paſchaſinus, Romanus legatus, dixit: *Ecce nos Deo volente dominum Anatolium primum habemus, hi quintum poſuerunt B. Flauianum.*

3) Act. XVI. apud HARDVINVM T. II. p. 626.

§. XXIX.

Iam tum quum canon hic in fauorem CPni Epiſcopi cuderetur Thraciae Exarchum, Heracleenſem Epiſcopum iuribus ſuis fuiſſe exutum, plurimorum ex eo eſt ſententia quod exerciti ab eo Exarchici muneris ſpecimina uix ulla reperiuntur, neque a PP. πρεσβεῖα τῆς τιμῆς CPno adiudicantibus, propria ipſi dignitas ſeruatur; uti

uti fecerat Caeſareenſi Metropolitano concilium Nicaenum, quum Hieroſolymitano honoris praerogatiuam itidem concederet: ſed quod tamen non ſimpliciter τὰ πρεσβεῖα, dicunt, uerum expreſſe addunt τῆς τιμῆς, indicio eſt Heracleenſem iuribus ſuis prorſus priuatum nondum fuiſſe, quamuis per rerum circumſtantias ſemper et ubique iis uti non potuerit. Caeterum Conſtantinopolitani Epiſcopi extenſiue hunc canonem interpretabantur, et praeter honorem, poteſtatem etiam ſibi arrogabant. Ioannes Chryſoſtomus dictus, CPnus Epiſcopus, referente SOZOMENO 1) tredecim Aſianae dioeceſeos Epiſcopos, quod eſſe Simoniaci arguerentur, depoſuit, aliosque in locum eorum ſubſtituit, idque aegre ferentibus Aſianis, adeo ut poſt mortem eius, conſtitutis ab eo eiectis, depoſitos reciperent. Ipſi Epheſinae eccleſiae, cuius tum diem obierat Epiſcopus Antoninus, alium, Heraclidem nomine, origine Cyprium praeficere auſus eſt idem. 2) Proclum Epiſcopum CPnum Epheſinae eccleſiae deſtinatum Epiſcopum Baſilium, in ipſa CPna urbe uiolenter ordinaſſe, indeque multas caedes ortas eſſe Magneſiae Epiſcopus Leontius allegat in Concilio Chalcedonenſi. 3) Praeter hos duos Memnon et Caſtinus Epheſini Epiſcopi a CPnis fuerunt ordinati. 4) De ſucceſſore Ioannis, Attico, praeceſſoris veſtigia premente SOCRATES ſcribit, 5) quod Niceae in Pontica dioeceſi praeſens Epiſcopum ordinauerit, nec non Philippopoli in Thracia et Troade Epiſcopum Syluanum praefecerit; 6) et denique inter Theodoſium et Agapetum de Synadorum Epiſcopatu, i. e. de Phrygiae Pacatianae metropoli in Aſiana dioeceſi diſceptantes cognouerit, cathedram Agapeto attribuendo. 7) Et ne contra iura haec uſurpare uideretur, obtinuit ab Imperatore legem, ne praeter ſuam ſententiam ulla fieret Epiſcopi ordinatio, quam tamen pro perſonali tantum priuilegio, unico

Attico conceſſo habuerunt Cycizeni, et hinc quum Attici ſucceſſor Siſinnius ipſis Epiſcopum Proclum deſtinaſſet et ceu talem ordinaſſet, ante hic quam adueniret, alium Dalmatium ſibimet ipſis Epiſcopum conſtituerunt. 8) Eodem SOCRATE teſte 9) Thalaſſius quoque Caeſareae Epiſcopus a Proclo CPno fuit ordinatus. Plura uſurpatae a CPnis exarchicae auctoritatis exempla ſiſtunt acta concilii Chalcedonenſis. Sic ex Actione I. ubi ſynodi CPnae aduerſus Eutychem acta referuntur, apparet, recitatis mutuis relationibus Florentii, Ioannis, et Caſſini Epiſcoporum Flauianum CPnum controuerſiam diremiſſe; et Act. X. e relatis Tyrii concilii actis cognoſcitur, quod poſtquam Ibam Edeſſenum Metropolitam dioeceſeos orientalis haereſeos accuſaſſent clerici Edeſſeni primum coram Domno Antiocheno, mox mutato conſilio coram Flauiano CPno, hunc cauſſae cognitionem tribus eiusdem dioeceſeos Metropolitis, Photio Tyri, Euſtathio Beryti et Vranio Himerorum delegaſſe. Litem inter Epiſcopum Nicaenum et Nicomedienſem Metropolitam, prouinciae Bithyniae Ponticae dioeceſeos, de ordinatione Epiſcopi Baſilinopoleos ſuis reſcriptis Ioannes et Proclus CPni ſopierunt, donec tandem plenarie in concilii Chalcedonenſis Act. XIII. decideretur. Epiſcopi Amaſiae, Chalcedonae, Gangrorum, Synnadorum, Aphrodiſiadis, Ancyrae, ſe ſuosque anteceſſores plures a Conſtantinopolitano Epiſcopo fuiſſe ordinatos uno ore fatentur Act. XVI eiusdem Concilii. Quibus denique omnibus accedit epiſtola ſynodalis Patrum Chalcedonenſium ad Epiſcopum Romanum, ubi expreſſe: *Eam namque conſuetudinem, quae ex longo iam tempore permanſit, quam habuit Conſtantinopolitanorum ſancta Dei eccleſia, ad ordinandum Metropolitanos prouinciarum, tam Aſianae, quam Ponticae, uel Thraciae, et nunc ſynodali decreto non tantum firmauimus etc.*

1) Lib.

1) Lib. VIII. c. 6. Quindecim fuiſſe quos depoſuit et pro iis alios ordinauit Philippus ait, presbyter Conſtantinopolitanae eccleſiae in Act. XI. CONC. CHALCEDON. Primum autem fuiſſe Ioannem in Aſiana dioeceſi haec talia praeſumentem, ex eodem SOZOMENO liquet, narrante l. c. depoſitos, eorumque neceſſarios accuſaſſe illum, quod rerum nouarum in eccleſiis auctor eſſet, ordinationumque iura contra morem inſtitutumque maiorum immutaret.
2) SOZOMENVS ibidem, add. THEODORETVS H. E. L. V. c. 28.
3) Act. IX. 4) IBIDEM. 5) Hiſt. eccl. Lib. VII. c. 25.
6) IBIDEM cap. 37. 7) IBIDEM cap. 3. 8) IDEM Lib. IX. c. 28. 9) Lib. VII. c. 48.

§. XXX.

Iam itaque militante pro Conſtantinopolitano Epiſcopo conſuetudine, minus erat difficile tandem a concilio aliquo auctoritatem et poteſtatem in dioeceſin obtinere confirmatam. Habebatur A. CCCCLI. Chalcedonae ſynodus in qua ipſi largum illud concedebatur beneficium, ut ſolus trium illarum, quas ſibi hactenus uſurpauerat dioeceſium ſtatueretur ſupremus antiſtes, omniumque per eas Metropolitanorum ordinationes peragere iuberetur: *Vbique ſanctorum Patrum definitiones ſequentes, et canonem, qui nuper lectus eſt, centum et quinquaginta Deo amantiſſimorum Epiſcoporum, agnoſcentes, eadem quoque et nos decernimus ac ſtatuimus de priuilegiis ſanctiſſimae eccleſiae Conſtantinopolis, nouae Romae. Equidem antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, iure Patres priuilegia tribuerunt. Et eadem conſideratione moti CL. Deo amantiſſimi Epiſcopi ſanctiſſimo nouae Romae throno aequalia priuilegia tribuerunt, recte iudicantes, urbem quae et imperio, et ſenatu honorata ſit, et aequalibus cum antiquiſſima regina Roma priuilegiis fruatur, etiam in rebus eccleſiaſticis, non ſecus ac illam extolli, ac magnifieri, ſecundam poſt illam exiſtentem, et ut Ponticae, et Aſianae et Thraciae dioeceſeos Metropolitani ſoli, praeterea Epiſcopi praedictarum dioeceſium, quae ſunt inter barbaros, a praedicto throno ſanctiſſimae Conſtantinopolitanae eccleſiae ordinentur, unoquoque ſcilicet praedictarum dioeceſium Metropolitano cum prouinciae Epiſcopis, prouinciae Epiſcopos ordinante, quemadmodum diuinis canonibus eſt traditum. Ordinari autem ſicut dictum eſt, praedictarum dioeceſium Metropolitanos a Conſtantinopolitano Ar-*

Digitized by Google

chiepiſcopo, conuenientibus de more factis electionibus et ad ipſum relatis. 1) Ipſis Patribus nouum et exorbitans uidetur integras tres uni committere dioeceſes, et hinc nolunt eius primi uideri auctores, ſed potius perſuadere ſatagunt poſteritati, Conſtantinopolitanum concilium fuiſſe quod haec primum iura CPno Epiſcopo indulſisſet, ſe autem ſaltim confirmaſſe. Quod Epiſcoporum harum dioeceſium ordinationes ſuis Metropolitanis expreſſis uerbis uindicantur, occaſionem praebet coniiciendi, eas etiam Byzantinum ad Alexandrini exemplum ad ſe trahere uoluiſſe. Interim ex omnibus qui huic concilio intererant Epiſcopis, nemo erat qui huic CPno conceſſae praerogatiuae ſeſe oppoſuiſſet, praeter Romani Epiſcopi legatos, qui uero contradictionibus ſuis aliud non efficiebant, quam ut magis firmaretur, hic quem infirmare uolebant canonem; quia enim contra eius ualorem inter alia allegabant, Epiſcopos ei ſubſcribentes coactos conſenſiſſe, hi omnes, una cum iis qui non ſubſcripſerant, inter quos Thalaſſus erat, Caeſareenſis Exarchus, lubentes ſe ſubſcripſiſſe, aliqui etiam ſe ſuosque anteceſſores a CPno eſſe ordinatos, uno ore fatentur. 2) Neque precibus ſuis, ſupplicationibus et admonitionibus ad Imperatorem, Pulcheriam, Conſtantinopolitanum, Hieroſolymitanum et Antiochenum directis, antiquationem huius diſpoſitionis, uel canonis III. CPni, obtinere unquam potuit Leo P. 3) ſed, ut LIBERATVS Diaconus ſcribit: 4) *Licet ſedes apoſtolica nunc usque contradicat, quod a ſynodo firmatum eſt, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.*

1) CONCILII CHALCEDONENSIS can. XXVIII. apud HARDVINVM T. II p. 611. Canonem hunc a Graecis expunctum non eſſe, ut ſcribit P. de MARCA de C. S. et I. Lib. III. C. III. §. 5. probat illuſtris BOEHMERVS in ſel. obſeruatt. ad hunc locum obſeru. 3 p. 74. Repetierunt eum PP. Trullani c. 36.

2) Vid. huius concilii act. XVI. IBIDEM p. 626. ſqq.

3) Conf. LEONIS P. epiſt. LI. LII. LIII. LIX. & LX.

4) LI-

4) LIBERATVS in breuiar. cap. XIII. Tandem tamen Innocentius III. in concilio Lateranenſi de A. MCCXVI. alteram a Romana CPnam eccleſiam eſſe agnouit; nouerat autem per hanc agnitionem nihil ipſi deceſſurum, quum CPna ſedes tum teneretur a Latinis, quos ſibi demereri ulterius hac ratione ſtudebat, conf. c. 23. X. de priuil. et quae ad hunc canonem, et de auctoritate ſynodi Lateranenſis commentatus eſt ZIEGLER. de Epiſcopis L. I. c. VI. p. 95. ſqq.

§. XXXI.

Ex hoc tempore, et poſt concilium Chalcedonenſe Epheſinus Caeſareenſis et Heracleenſis Antiſtites locum quidem in conciliis ac nomen Exarchorum in ſubſcriptionibus conciliorum retinuerunt, attamen Metropolitanorum inſtar ſaltim fuerunt habiti. Ipſe hic canon XXVIII. quum ſingulorum eccleſiaſticorum praeſulum per has tres dioeceſes ordinationes diſponeret, et a quibus peragi deberent ſtatueret, Epiſcoporum tantum et Metropolitanorum, Exarchis inter hos numeratis meminit, horumque ſimul ordinationes Conſtantinopolitano Epiſcopo aſſerit. Hunc uero quum reliquis ſuper dioeceſin conſtitutis Epiſcopis, et in aliis capitibus aequatum uellent P. P. ipſi non minus ac illis iudicium in Metropolitanos dioeceſeos tribuunt canone huius concilii IX. 1) *Si quis clericus habeat cum clerico litem proprium Epiſcopum ne relinquat, et ad ſaecularia iudicia recurrat; ſed prius apud proprium Epiſcopum agat, uel Epiſcopi uoluntate apud eos, quos utraque pars elegerit, iudicium agitetur. Si quis autem praeter haec fecerit canonicis poenis ſubiiciatur. Si clericus autem cum proprio, uel etiam alio Epiſcopo litem habeat, a prouinciae ſynodo iudicetur; ſi autem cum ipſius prouinciae Metropolitano Epiſcopus uel clericus controuerſiam habeat, dioeceſis Exarchum adeat, uel imperialis urbis Conſtantinopolis thronum, et apud eum litiget.* Eſt hic canon e numero eorum, qui circa intellectum ſuum difficultatis habent quam maximum, eo unice oriundam, quod qui Exarchi dicantur, uulgo ignoratur. Illi

Illi qui auctoritate Sardicenſis concilii innisi, cum Metropolitanis eos confundunt ex hoc et canone XVII. 2) erroris ſui facile admodum conuinci poſſunt, diſtinctio enim inter eos ſatis clara, quum Metropolitanus reus eſt, Exarchus autem iudex ſtatuitur. Aduertit illud, aliamque ſiſtit explicationem ſcholion huic canoni ſubiectum, quod ex codice Ambarbicano latine redditum exhibet BEVEREGIVS: 3) *Exarchos uocat eos quibus Metropolitani ſubſunt; ii autem ſunt Patriarchae, a quibus cauſſas contra Metropolitanos motas iudicari uult, uel ab Epiſcopo Conſtantinopolitano, quem thronum ſynodus peculiari priuilegio honorauit. Quod autem Exarchos uocat primae ſedis Epiſcopos, qui ſunt Patriarchae, ſynodi etiam Carthaginenſis canon XXXIX. oſtendit, eos Exarchi nomine non oportere appellari ſtatuens. Si quis autem dixerit ſextum canonem ſynodi Sardicenſis Metropolitanum uocare Exarchum, uerum quidem dicet; ſed nihil quod in praeſenti quaeſtione memoratu dignum eſt. Hic enim ipſe propoſitus ſynodi Chalcedonenſis canon, dicens eum qui a Metropolitano iniuria afficitur, ab Exarcho iudicandum eſſe, Exarchum alium eſſe a Metropolitano indigitat. Quodſi cogitatio aliqua ſubeat, Exarchos a Patriarchis ad eccleſiaſticas quasdam adminiſtrationes miſſos (ſic enim praeſenti aetate nominantur) a canone fortaſſe ſignificari; neque haec etiam cogitatio locum inueniet. Primo enim, quum alii throni Exarchos habeant, quare CPnus non habebit? Deinde contraria etiam iis, quae petuntur, contradicentibus conficientur; illinc etiam exemplo CPno. Si aliis etiam thronis ſubditi Epiſcopi et clerici cum Metropolitanis litem habentes, appellationes fecerint ad Exarchos, ab ipſis Pariarchis miſſos, aut ad Patriarcham CPnum; tunc CPnus ſolus, aliorum Patriarcharum Epiſcopos, clericosque et Metropolitanos iudicandi et controuerſias ſoluendi priuilegium habebit. Quin etiam tertium conſequetur abſurdum, alios ſcilicet Patriarchas, a iudicando ſibi*

ſibi ſubiectos penitus arceri; ac proinde maiorem eſſe ipſorum Exarchorum auctoritatem, ſi uel illi appellationes accipiant, uel Epiſcopus CPnus. Adeo ut priuilegium exemti praeſulis CPni omnimodo conſeruetur et a praeſenti XVII. canone et a nono. Nimirum ſolent hunc allegare canonem Graeci, eumque opponere Latinis ad aſſerendam Epiſcopo CPno eandem circa Epiſcoporum appellationes praerogatiuam quam ſibi Romanus uindicauit. Quinimo iactant fortiorem eſſe hac in parte cauſſam CPni quam Romani, quod ille ſuum priuilegium ex oecumenico Chalcedon. concilio deducat, pro quali Sardicenſe, cui ius ſuum appellationes recipiendi Romanus debet, non agnoſcunt. 4) Quamuis autem de appellationibus ad ſedem CPnam dirigendis nil habere canonem in ſinu tueantur alii, conſentiunt tamen tantum non omnes in eo, peculiare prorſus priuilegium CPno Epiſcopo attribui, ita ut de omnibus prorſus Metropolitanis cognoſcere potuerit, ſi modo actores coram ipſo eos conuenire uoluerint. Hac ratione intendiſſe eum aiunt cognitionem de omnibus Metropolitanis ad ſe trahere, iudicando nempe et pronunciando ſemper in fauorum actorum quam iniquitatem licet inuitationem fore praeuidiſſet, ut omnes, cauſſas aduerſus ſuos Metropolitanos habentes, coram ipſo potius, quam coram Exarcho ſuo litigare maluerint; quodſi ſucceſſiſſet CPnum poſt aliis artibus effecturum fuiſſe, ut ſublata electione fori ipſe aliquando ſolus ſtatueretur omnium Metropolitanorum competens iudex. Verum non exiſtimauerim CPnum iudicii tam hebetis et tardi fuiſſe quin uiderit, quam parum ſufficiens fini praeſtituto hoc fuerit medium; potuiſſent enim Exarchi aduerſus eius machinationes eodem ceu remedio uti, et fauendo actoribus in ferendis ſententiis impedire, quo minus litem ſuam CPoli mouere ulli ueniret in mentem. Neque licuit uel unicum poſt publicatam hanc ſanctionem inuenire exemplum, ullius coram CPno

CPno Epiſcopo conuenti Metropolitani, ad tres ipſi ſubiectas dioeceſes non pertinentis, qualia tamen certe proſtarent, ſi ui horum canonum iudex eorum fuiſſet ſtatutus; potius integrum et illibatum in ſibi ſubditos Metropolitas caeterarum dioeceſium antiſtites conſeruaſſe omnes ueteris diſciplinae gnari fatentur. Magis itaque eſt ut dicamus reſpexiſſe PP. haec diſponentes ad Metropolitanos Exarchis Epheſino, Caeſareenſi et Heracleenſi ſubiectos, et de hiſce cognitionem adiudicaſſe Conſtantinopolitano Epiſcopo, quem expreſſe nominare propterea opus, quia inter Exarchos nondum comprehendebatur canone XXVIII. talem eum conſtituente, tum nondum cuſo: ita ut ſenſus canonis ſit Metropolitanos ſingulos conueniri debere coram dioeceſeos Exarcho, illos uero, qui in Aſiana, Pontica et Thracica dioeceſi eſſent non coram Exarchis ſuis, qui titulus Epheſino, Caeſareenſi et Heracleenſi Epiſcopis in ſolatium manebat, ſed coram CPno throno.

1) Ap. HARDVIN. T. II. p. 606. et c. 46. XI. q. I. Videtur ex hoc canone deſumtum Capitulare Caroli M. CCXLI.

2) Can. XVII. CONCIL. CHALCED. *Si quis autem iniuria afficiatur a proprio Metropolitano apud Exarchum dioeceſis, uel CPnam ſedem litiget ſicut prius dictum eſt*, apud HARDVIN. ibid. p. 607.

3) Ad can. XVII. Conc. Chalc. Alius, alienae prorſus a ſenſu canonis interpretationis auctor eſt NICOLAVS I. P. in ep. VIII. ad Michael. Imp

§. XXXII.

Vt hunc genuinum ſenſum eſſe canonum horum credamus, inducit, quod nullus plane Epiſcoporum, neque Exarchi, de quorum tamen ſummo praeiudicio actum fuiſſet, neque Rom. legati, uerbulo quidem contradixiſſe leguntur, quod tamen utique feciſſent, ſi aduerſa hac et abſona ab harmonia omnium canonum, a fundata eccleſia ad illum uſque diem cuſorum, diſpoſitione, omnes totius Orientis Metropolitas euocare, trahereque uſque ad CPnam ſedem licuiſſet, Nicaenis, Antiochenis, CPnis, Sardi-

dicenſibus, Africanisque canonibus uniſone ſtatuentibus cauſſas omnes in ea prouincia uel dioeceſi eſſe finiendas,ubi fuerunt exortae. Praeterea Iuſtinianus Imperator, ſuae ſane CPnae eccleſiae, eiusque praerogatiuis non minus ſtudens ac anteceſſores, nuſpiam tamen legibus ſuis repetiit aut confirmauit taliſmodi quidpiam, potius ubique conformiter cum antiquis illis conciliis ſtatuit, unamquamque litem, aduerſus Metropolitanum motam, a dioeceſeos illius Patriarcha eſſe iudicandam. Interpretis inſtar huius canonis eſſe poteſt eius Nouellae conſtitutionis CXXIII. c. 22, ibi uero expreſſe: *Si uero contra Metropolitanum talis aditio fiat ab Epiſcopo aut clero, aut alia quacunque perſona, dioeceſeos illius beatiſſimus Patriarcha ſimili modo cauſſam iudicet.* 1) Nec obſtat huic interpretationi ordo canonum, et quod CPnus in canone demum XXVIII. euectus et ſuper tres dioeceſes conſtitutus fuit. Quis enim imaginari ſibi poſſet rem nouam adeo, qualis praerogatiua ipſi dicto can. XXVIII. conceſſa,erat,tum prima uice PPbus fuiſſe propoſitam,ſtatimq; etiam,nemine contradicente canonem conflatum.Vt exercitium aliquod et poſſeſſionem iurium exarchalium adipiſceretur CPnus pluribus opus fuerat actibus, ut uſurpationum ſuarum confirmationem obtineret a concilio, quot credis opus fuiſſe uerbis, artibus et machinationibus? Non enim Exarchi ſolum illi ſubigendi, diſponendi erant ut ne contradicerent; ſed Antiocheni etiam 2) et tam numeroſae multitudinis,qualis Patrum concilii ſuffragia erant ambienda, ne illi ceu canonum et diſciplinae ueteris cuſtodes huic nouo inſtituto ſeſe opponerent: quae omnia plurimum requirebant operae et temporis, ante ad maturitatem ſuam quam peruenire poſſent. Proſpexerat autem ſibi dudum CPnus Epiſcopus de his ſingulis, et uel metu et territionibus, uel blanditiis ac promiſſionibus, et qui ſunt alii conciliandorum animorum modi ita diſpoſuerat ſingulos, ut certus eſſe potuerit neminem quam forte Romanos legatos fore qui refragarentur. 3) De re itaque illa inter iam conuenientibus Patribus, CPnum Epiſcopum intuebantur ceu Exarchum trium illarum dioeceſium, hocque intuitu de Metropolitanis per eas cognitionem ipſi, ad inſtar aliorum Exarchorum, adiudicant.

(1 Add. L. 29. C. de Epiſc. aud. cuius uitioſam interpretationem lati-

nam e textu graeco emendat PETRVS de MARCA in diſſ. de Primatu Lugdun. §. XVIII.

2) Alexandrinus Dioſcorus tum iam erat ſede depoſitus.

3) Neque tum prima uice rem fuiſſe propoſitam, ex eo ſe manifeſtat, quod antequam proponeretur, iam innotuerit Romanis legatis, propterea e conuentu diſcedentibus: Ipſe Pontifex eius non fuit ignarus, quum enim poſceretur a legatis ut mandatum ſuum producerent, eius haec praelegebant uerba: *Sanctorum quoque Patrum conſtitutionem perlatam, nulla patiamini temeritate uiolari, ſeruantes omnimodis perſonae noſtrae in uobis, quos uice noſtra tranſmiſimus dignitatem. Ac ſi qui forte, ciuitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid ſibi tentauerint uſurpare, hoc, qua dignum eſt conſtantia, retundatis.* Confer. CONCILII CHALCED. Act. XVI.

§. XXXIII.

Poſt celebratum concilium Chalcedonenſe duplicis generis habemus Exarchos, alios, qui praeter nominis honorisque decus nihil habebant quo a Metropolitanis dignoſcerentur, nempe Epheſinum, Caeſareenſem atque Heracleenſem; alios qui iura ſua adhuc integra conſeruauerant. 1) Miſſis tribus illis, quid cum his contigerit reſtat diſpiciendum. Antiocheno Exarcho de iuribus nihil, de dioeceſi tamen aliquot per Chalcedonenſe concilium ſubtractae ſunt ipſo conſentiente prouinciae. Hieroſolymitani Epiſcopi non contenti quod ex concilio Nicaeno praerogatiua honoris gauderent ſuper proprium etiam Metropolitam Caeſareenſem, iura quoque et auctoritatem in hancce uindicare ſibi ſtuduerant. Alter enim a Macario, qui concilio Nic. ipſe interfuerat, Cyrillus de iure Metropolitico cum Caeſareenſi Acacio, ſed infelici ſucceſſu contendit, per hunc enim depoſitus eſt ab officio et ſede. 2) Qui Epheſini concilii tempore cathedra illa potiebatur Iuuenalis, non amplius metropolitica, ſaltim ſed Exarchica in Palaeſtinas iura aſſerere ſibi conatus eſt, ſed inſolentes ſuos auſus nonniſi per commentitia ſcripta firmare ualens, nihil quidem obtinere tum potuit. 3) Peruicit autem tandem in concilio Chalcedonenſi, ita ut per conuentionem cum Antiocheno a concilio confirmatam tres Palaeſtinas, in tot enim prouincias Imperatorum auctoritate iam erat diuiſa Palaeſtina, pleno iure nanciſceretur, Arabia uero, et duae Phaeniciae, quas pariter ſibi uindicare uoluiſſe, ex transactione illa perſpicitur, manerent Antiocheno. 4)

1) Nul-

1) Nullibi enim quid ſupra eos arrogaſſe ſibi CPnus legitur; excepto quod Anatolius, qui Chalcedonenſi ſynodo adfuit, neſcio qua de cauſſa Exarchum Antiochenum aliquando ordinauit, de quo tamen nemo conqueſtus eſt, quam LEO P. ep. LI. ad Anatolium CPnum, et ep. LII. ad Martianum Auguſtum. 2) De fatis huius Cyrilli aliquoties depoſiti et iterum reſtituti confer. THEODORETVS Lib. V. c. 9. SOCRATES Lib. II. c. 40. SOZOMENVS Lib. IV. c. 25.

3) Nihil quidem de his eius praetenſionibus in ipſis concilii huius actis, quae ad nos peruenerunt, reperitur: ſed meminit eius rei LEO P. ep. LXII. c. 4. ad Maximum ita ſcribens: *ſicut etiam in ſynodo Epheſina, quae impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit Iuuenalis Epiſcopus ad obtinendum Palaeſtinae prouinciae principatum, credidit ſe poſſe ſufficere, et inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare, quod ſanctae memoriae Cyrillus, alexandrinus Epiſcopus merito perhorreſcens, ſcriptis ſuis mihi quid praedicta cupiditas auſa ſit, indicauit, et ſollicita prece multum popoſcit, ut nulla illicitis conatibus praeberetur aſſenſio.* 4) Conf. Act. VII. CONC. CHALCED. apud HARDVINVM T. II. p. 491.

§. XXXIV.

Alexandrinus, quem ſupra non improbabiliter Metropolitanum ſaltim plurium prouinciarium ciuilium reliquimus, ſynodi Chalcedonenſis tempore Metropolitanis ſibi ſubiectis amplius non caruit, ſed eorum decem ſub ſua inſpectione habuit; 1) indeque Exarchis reliquis abſimilis non fuit. Illis tamen non obſtantibus circa ordinationes Epiſcoporum iura intacta ſemper retinuit, interque omnes uel Exarchos, uel Patriarchas maxima ſemper auctoritate in dioeceſin potitus eſt, adeo ut inſcio ipſo nihil quod alicuius eſſet momenti decernere auderent Epiſcopi Aegyptii. 2) Immo eo aliquando adſcendit Alexandrinorum antiſtitum potentia, ut per eos, inquit SOCRATES, 3) nonnihil de auctoritate eorum, qui ab Imperatore ad magiſtratus gerendos deſignati erant, detractum fuerit, Cyrillusque *praeter ſacri cleri dominatum, rerum praeterea ſaecularium principatum* acquiſierit.

1) Theodoſius iunior in epiſtola ad Dioſcorum Alexandrinum quae Act. I. CONCIL. CHALCED. reperitur: *Tua ſanctitas ſumtis ſecum decem reuerendiſſimis Metropolitis Epiſcopis, qui ſub tua degunt dioeceſi*, etc.

2) Vide ſupra §. XXVI. n. 3.

3) SOCRATES Lib. VII. c. 13.

4) IDEM Lib. eod. c. 7. *Triduo poſt mortem Theophili Cyrillus in ſede epiſcopali collocatus, epiſcopatu potitus eſt, maioremque principatum*

quam

by Google

quam unquam Theophilus habuiſſet pariter ſibi aſſumſit. Etenim ex illo tempore Epiſcopus Alexandrinus, praeter ſacri cleri dominatum rerum praeterea ſaecularium principatum acquiſiuit etc.

§. XXXV.

Titulum Exarchi Alexandrinos Epiſcopos geſſiſſe non meminimus, ſed plerumque Archiepiſcopi titulo uenire conſueuerunt, (*) quem Cyrillus ſuis fere ſemper epiſtolis praefigit. Elegerant ſibi eundem Romani quoque Epiſcopi, nec immerito hi duo praeſules uno appellabantur nomine, erant enim ſibi inuicem ratione iurium non abſimiles, et eo ex capite iam a Nicaeno concilio inter ſe aequiparati. Quod ſi eos Metropolitanos ſaltim olim fuiſſe tuearis, dici poſſet, eos quod deficiente dioeceſi Exarchi appellari non poſſent Archiepiſcopi audire maluiſſe, ut a reliquis Metropolitis, ſingulis prouinciis ciuilibus praefectis, nomine etiam eſſent diſtincti, uti ipſorum prouinciae amplitudine ſuperabant prouincias reliquorum. Quicquid ſit, quod hi duo, qui Archiepiſcopi dicebantur, Alexandrinus et Romanus, auctoritate in dioeceſin ſuperarent omnes Exarchos, et Exarchi titulus poſt Chalcedonenſe concilium ab iis etiam gereretur, qui puri erant Metropolitani, potius uidebatur Archiepiſcopus appellari quam Exarchus et hinc Antiochenus, Hieroſolymitanus et CPnus amplius nunquam Exarchi ſed Archiepiſcopi dici malebant et uocabantur.

(*) Alexandrinos Epiſcopos iam a tempore Hadriani Imperatoris titulum Patriarchae geſſiſſe SALMASIO de Primat. C. IV. p. 43. fuit uiſum ex epiſtola aliqua Hadriani apud VOPISCVM Vit. Saturn. Sed errorem eius detexit BASNAG. exercit. hiſt. p. 284.

§. XXXVI.

Neque tamen haec diu perdurauit compellatio, ſed alia mox ſucceſſit. Vti accidere alias ſolet, ut, qui uel blandiri cuipiam egregie uolunt, uel ſingularem erga aliquem reuerentiam et pietatem ſignificare, nouo et inuſitato eum inſigniant titulo; ita in eccleſia quoque euenit. Gregorius Nazianzenus patrem ſuum, modicae urbis Epiſcopum, ut ipſe eum fuiſſe ait, in oratione quadam Patriarcham uocauerat 1) et in alia, quam in CPno concilio recitauit, iis Epiſcopis qui in perſecutione Conſtantii occiſi fuerant, Patriarchae nomen itidem aſſignauerat. 2) Videturque hoc nomen non a Iudaeorum, 3) ſed a ueteris teſtamenti Patriar-

chis

chis primum deſumtum, eccleſiaſticis praeſulibus honoris cauſſa interdum tributum eſſe. Vtitur ſane eo hac ratione GREGORIVS NYSSENVS, quum in oratione funebri in Meletium Epiſcopos alloquitur. 4) *Videte iſtos Patriarchas, omnes iſti filii noſtri Iacobi ſunt,* intelligens Meletium, quem ſaeculi ſui Iacobum uocat. Vndecunque autem titulum Patriarchae ſumſerint, nobis ſufficit noſſe, circa concilii CPni tempora eum ſimplicibus interdum Epiſcopis, illis tamen potiſſimum fuiſſe tributum qui ſanctitate uitae, integritate morum, puritate doctrinae, aliisque qualitatibus perſonalibus caeteris praeminebant. Sic quum irruentibus haereſibus obicem ponere ſtuderet Imp. Theodoſius M. 5) eaque propter per ſingulas V. Orientis dioeceſes, uti a concilio CPno, iam primum finito, receptae fuerant, quosdam nominaret antiſtites probabiles, ſiue tales, qui exemplar fidei et doctrinae eſſe poſſent reliquis, SOCRATES haec referens, Patriarchas ait ab illo concilio conſtitutos eſſe prouinciarumque diuiſionem factam. 6) Iam GOTHOFREDVS obſeruauit auctorem narrationem ſuam ex canone II. CPno, atque ex l. 3. C. T. de fid. cath. inſtituiſſe, neque tamen ſuis ſatis bene functum eſſe partibus, ſed plus uno eſſe, in quo fallatur aut aberret. Interim prima a laudato concilio dioeceſium recepta diuiſio, et hic locus Socratis plurimos ſeduxerunt ad ſtatuendum Patriarchas a CPno concilio primum fuiſſe inſtitutos. Verum ulla Patriarcharum ante Chalcedonenſe concilium non occurrens mentio; nomenque hoc pluribus unius dioeceſeos, et talium quidem cathedrarum Epiſcopis attributum, quarum tres ſaltim, alter inter Exarchos, caeteri inter Patriarchas locum habuerunt, luculenter manifeſtat, Socratem non cathedrarum, ſed perſonarum meritis commotum, titulum huncce iis adſcripſiſſe: ſedes enim haſce peculiaribus prae reliquis iuribus gauiſas eſſe ueſtigia nulla deprehenduntur. Immo quod conſtitutos tum fuiſſe Patriarchas ſcribit, ex omnibus illis nominatis autem unicus fuit Nectarius, primum Epiſcopus a concilio inſtitutus, prodit perſonalis ſaltim ut intelligatur hic titulus uelle Socratem, ut mens eius non ſit has nominatas perſonas tum primum Epiſcopos eſſe conſtitutos, quippe quod a uero alienum, ſed illos iam olim E-

I 3 piſco-

Epiſcopos tum primum fuiſſe inſtitutos Patriarchas ſiue tales, quos exemplar fidei et doctrinae ſibi imitandum praeſtituere reliqui deberent. Hoc in ſignificatu titulum Patriarchae accepiſſe quoque uidetur Epiſcopus Rom: Leo et ab Imperatore Theodoſio in litteris ad Valentianum et Placidiam. 7) et in epiſtola Martiani; nec non ab Epiſcopis orientalibus audita damnatione Dioſcori exclamantibus: 8) *Leoni multos annos, Patriarchae multos annos!* Tum enim quum Chalcedonenſe ageretur concilium titulus Patriarchae nondum priuatiue illis adhaerebat, qui eum poſtea geſſerunt, ſed Metropolitani aliquando eodem ueniebant nomine. 9)

1) GREGORIVS NAZIANZENVS Orat. XIX. de laud. Patr. p. 310. et 312. et orat. XLI. p. 675. 2) IDEM Orat. XXII. p. 525.

3) Crebram Iudaicorum Patriarcharum mentionem facit titulus C. T. de Iudaeis, coelicolis et Samaritanis.

4) GREGORIVS NYSSENVS in orat. funebr. Meletii Tom. III. p. 589.

5) L. 3. C. T. de fide cathol. Hunc enim Imperatorem dictae legis auctorem eſſe tuetur IAC. GODOFREDVS.

6) Hiſt. eccl. Lib. V. c. 8. *Sed et Patriarchas conſtituerunt, prouinciarum diuiſione facta, ita ut nullus Epiſcopus, ultra propriam dioeceſin alienas eccleſias inuaderet. Id enim antea propter perſecutiones promiſcue factum fuerat. Ac Nectarius quidem regiam urbem, et Thraciae prouincias ſortitus eſt; Helladius uero, qui Caeſareae Cappadociae, poſt Baſilium erat Epiſcopus, Ponticae dioeceſis patriarchatum obtinuit, et una cum illo Baſilii frater Gregorius, Epiſcopus Nyſſae, quae et ipſa urbs eſt Cappadociae; et Otreius Epiſcopus Melitinae in Armenia. Aſianae autem dioeceſis patriarchatum ſortitus Amphilochius Iconii et Optimus Antiochiae Piſidiae Epiſcopus. Aegypti eccleſiarum adminiſtratio, Timotheo Alexandriae Epiſcopo attributa eſt. Orientis autem eccleſiarum regimen, et curam Epiſcopis illius regionis commiſerunt, Pelagio ſcilicet Laodiceae et Diodoro Tarſi Epiſcopo, ſeruata tamen honoris praerogatiua Antiochenae eccleſiae.*

7) Quas uide in HARDVINI coll. concil. T. II. p. 40.

8) Act. I. CONCILII CHALCEDON. ibid. p. 258.

9) E. gr. Act. II. eiusdem concilii IBIDEM *Glorioſiſſimi iudices et ampliſſimus ſenatus dixerunt: Si placet ueſtrae reuerentiae ſanctiſſimi Patriarchae ſingularum prouinciarum, eligentes ſingulos aut binos ſuae propriae quisque prouinciae etc.*

§. XXXVII.

Tempore tamen inter concilium Chalcedocenſe Iuſtinianique aeuum interiecto, titulus Patriarchae illis tantum tribui

coepit

coepit praeſulibus qui ratione ſedium ſuarum inter omnes primi erant atque praecipui, ſiue iis qui Exarchi et Archiepiſcopi hactenus fuerant dicti, teſtantibus Codice et Nouellis paſſim. Sed quod inter omnes Epiſcopus Romanus Leo primus fuerat, cui titulus hicce ab ipſis Imperatoribus erat tributus,eo ſibi ualde placebant ſucceſſores eius,ſibique adſcriptum illum credebant,quia ſedes Romana a Petro,quem principem Apoſtolorum fuiſſe perſuadebant, eſſet condita. Per idem tempus male eos admodum habebat Conſtantinopolitanos Epiſcopos ſibi uidere aequatos, et ſub praetextu nouae Romae omnia appetere et obtinere, quae modocunque ſibi antiquae Romae Antiſtites arrogauerant: Aliquam itaque excogitare uolentes praerogatiuam, qua eſſent aut uiderentur illis ſuperiores, fingebant Petrinae fundationis intuitu ſe Patriarchas cluere; et quod Antiochenam eccleſiam ab eodem Apoſtolo fundatam eſſe noſſent, et ipſa in conſortium Patriarchicae dignitatis aſſumebatur, qua et Alexandrinum dignari oportebat, quod ipſe maxima in dioeceſin auctoritate gaudens, locum hactenus ante ipſum Antiochenum in conciliis habuerat, neque hac ſe deturbari ſinebat, quod tamen non Petrus eius cathedram fundaſſet, ſed Marcus, fingebatur hunc illius auctoritate et iuſſu dictam ſedem Alexandrinam condidiſſe. Ex hoc igitur capite Petrinae fundationis maior et potior parabatur tribus his antiquioribus ſedibus dignitas prae eccleſia CPna, cuius quidem Epiſcopum Patriarcham dici impedire non poterant, ipſis Imperatoribus eum ita uocantibus, ſed iactabant tamen illum non eſſe ueraciter Patriarcham, ſed Impp. fauore ita ſaltim appellari. Lubentes etiam ueracem, ut dicebant, Patriarchae dignitatem communicabant cum Alexandrino et Antiocheno Romani quod ab his duobus nihil ipſis eſſet metuendum et tanto inferiorem fore dignitate crederent CPnum, quo plures eſſent ipſum exiſtimatione aliorum ſuperantes. In eadem cum CPno inferioris auctoritatis claſſe collocabant Hieroſolymitanum, quem, ne Hieroſolymis ab ipſo Saluatore euangelium eſſe annunciatum allegaret, non Hieroſolymorum ſed Heliae Epiſcopum in Nic. concilio eſſe dictum, urgebant. Haec ſingula ita ut dicta ſunt ſeſe habere, ex ipſis Pontificibus Nicolaus I. edocuit (*) *Veraciter*

illi

illi habendi ſunt Patriarchae, qui ſedes Apoſtolicas per ſucceſſores Pontificum obtinent; id eſt qui illis praeſunt eccleſiis, quas Apoſtoli inſtituiſſe probantur; Romanam ſcilicet, et Alexandrinam et Antiochenam. Romanam, quam ſanctorum principes Apoſtolorum Petrus et Paulus et praedicatione ſua inſtituerunt, et pro amore Chriſti, fuſo proprio ſanguine ſacrauerunt. Alexandrinam, quam Euangeliſta Marcus diſcipulus, et de baptiſmate Petri filius, a Petro miſſus inſtituit, et Domino Chriſto cruore dicauit. Antiochenam, in qua conuentu magno ſanctorum facto primi fideles dicti ſunt chriſtiani, et quam B. Petrus, priusquam Romam ueniret, per aliquot annos gubernauit. CPnus autem et Hieroſolymitanus antiſtites, licet dicantur Patriarchae, non tamen tantae auctoritatis, quantae ſuperiores exiſtunt. Nam CPnam eccleſiam nec Apoſtolorum quisquam inſtituit, nec Nicaena ſynodus, quae cunctis ſynodis celebrior et uenerabilior eſt, eius mentionem aliquam fecit: Sed ſolum quia CPolis noua Roma dicta eſt, fauore Principum potius, quam ratione Patriarcha eius pontifex appellatur. Hieroſolymitanus autem praeſul et ipſe Patriarcha dicitur, et ſecundum antiquam conſuetudinem, et Nicaenam ſynodum, honorandus eſt, ſalua tamen metropolis propria dignitate; ſed in eadem magna et ſancta ſynodo nequaquam Hieroſolymitanus, ſed Heliae Epiſcopus dicitur: nam uera Hieruſalem tantum in coelis eſt mater noſtra; illa uero Hieruſalem terreſtris, ſecundum quod Dominus praedixit, adeo funditus ab Helio Adriano Imp. R. deſtructa eſt; ut in ea nec lapis ſuper lapidem relictus ſit, et ab eodem Helio Adriano in alio eſt loco conſtructa, ita ut locus Dominicae crucis extra portam, nunc intra ciuitatem; et a praedicto Helio Adriano urbs illa Helia uocatur. (*) NICOLAVS I. in reſp. ad Bulg.

§. XXXIIX.

Et inde factum ut ius canonicum, recentiorque aetas plures nunquam, neque alios agnouerit Patriarchas quam quinque hoſce, quorum ſummus erat in eccleſiaſtica hierarchia gradus, et qui hunc inter ſe ſeruabant ordinem, ut primus omnium haberetur Romanus, qui ſuper Patriarchas conſtitutus eſſe malebat; alter ab illo CPnus, ex concilio CPno; tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus et quintus denique Hieroſolymitanus. 1) Si de origine dignitatis Patriar-

chicae,

chicae, Alexandrini, Romani et Antiocheni quaeratur, ferri quidem poteſt, ut illa a confirmatione iurium in concilio Nicaeno facta, repetatur, illos tamen iam tum Patriarchas fuiſſe dici propterea nequit, quod titulus hicce non recentioris ſolum aetatis eſt, et praerogatiua tanta ex fundatione Petri, ante ſaeculum VI. uix quaeri conſueuit; ſed etiam quod, ut Du PIN obſeruat, plures admittere teneamur Patriarchas, quam quos tales ius canonicum nouit. Neque enim ut quis Patriarcha dici poſſit, ſufficit dioeceſi, et per eam ſparſis Metropolitanis praeeſſe, eos ordinare, etc. alias Iuſtinianae primae, Carthaginienſis, Bulgariae, aliique antiſtites Patriarchae forent, quos tamen ita uocitatos nunquam deprehendimus, ſed contenti fuerunt Archiepiſcopi praedicato, ſummam pariter per dioeceſin auctoritatem aliquando ſignificante, et medio quaſi inter Patriarchas et Metropolitanos exiſtente. 2) Caeterum recentiori aetate, et in occidente patriarchici tituli alius fuit uſus, et plures ſummi Epiſcopi ita ſunt uocitati. 3) Quod autem Euagrius ſcribit 4) Epheſinae eccleſiae reſtitutum fuiſſe a Timotheo πατριαρχικον δικαιον a concilio Chalcedonenſi ablatum, factum eſt, quod auctor congruum exiſtimaret Epheſino Epiſcopo poſt recuperata iura eundem adſcribere titulum, quem gerebat Antiochenus, quia olim, quum iisdem quilibet per dioeceſin gauiſi fuerant iuribus, uno etiam nomine Exarchi uenerant. Neque enim ullibi alias patriarchicam eccleſiam Epheſinam fuiſſe legitur, et Timotheus non adeo recuperaſſe, quam recuperare tentaſſe uidetur iura olim exercita.

1) C. 7. D. XXII. etc. 23. X. de priuil. et exceſſib. etc. 2) Vid. Nou. XI. add. c. 1. §. 2. et 3. D. XXI. 3) Reges Gothorum Italiae regni Epiſcopos Patriarcharum nomine ornaſſe, ex epiſtola Athalarici Regis ad Ioannem Papam apud CASSIODORVM lib. IX. epiſtol. conſtat. 4) Lib. III. cap. 6. vid. ſupra §. X!IX. n. 6.

§. XXXIX.

Praeter Epheſinam, Caeſarenſem et Heracleenſem Epiſcopos, alios quoque plures Metropolitanos poſt Chalcedon: ſynodum titulum Exarchonum geſſiſſe, ſupra dictum eſt. 1) Venit autem eodem ſaepius Theſſalonicenſis etiam Illyrici Epiſcopus, cuius tamen peculiaris ab Exarchis reliquis ratio. Illyricum uſque ad tempora Theodoſii ſenioris integrum ſemper ad Imperium Occidentis ſpectauerat. Poſt

eius obitum autem, arbitrio, ut uidetur, ipſius in duas partes ſectum eſt, inter filios Arcadium et Honorium, ita ut dioeceſis Macedoniae, quae Macedoniam primam et ſecundam ,Theſſaliam, Achaiam, et utramque Epirum complectebatur, et dioeceſis Daciae adiunctae fuerint Orientis Imperio ſub diſpoſitione Praefecti Praetorio Illyrici, cuius ſedes conſtituta erat Theſſalonicae. Pannoniae utrumque Noricum et caeterae prouinciae retentae in Occidentis Imperio ſub Praefecto Praetorio Italiae et Vicario Sirmii. Donec uniuerſum Illyricum ad Occidentis Imperium pertineret, qui per id fuerant Epiſcopi Romani Pontificis ſupra ſe auctoritatem agnoſcere non recuſauerant. Diuiſo illo, eiusque parte ad orientale Imperium ſumta, eandem etiam retinere cogitabant Epiſcopi Romani per orientale Illyricum poteſtatem, quam olim habuerant, ſed aegre illud ferentibus CPnis, et Theſſalonicenſibus Epiſcopis, quod urbs ſedes eſſet praefecturae, ad inſtar aliorum ſupremam per dioeceſim auctoritatem affectantibus, qui Romae erant Epiſcopi, ut tuerentur ſuam per Illyricum uniuerſum aduerſus CPnum auctoritatem, cauſſam cum Theſſalonicenſi faciebant communem, uicesque ſuas ipſi delegabant, in eo conſiſtentes ut Epiſcopos et Metropolitanos electos confirmet; lites dirimat, quae in concilio prouinciali decidi nequiuerint; concilium nationale ex toto exarchatu conuocet; curet ut per omnes ditionis ſuae eccleſias diſciplina et eccleſiaſticae leges obſeruentur, et denique Metropolitanis, Epiſcopis, caeterisque clericis, qui patria exire, et ab eccleſiis abeſſe uoluerint formatas det litteras. 2) Vt ita Theſſalonicenſis Epiſcopus non prouinciam ſolum, uerum, integram dioeceſin, quamuis non ſuo, ſed Epiſcopi Romani nomine gubernaret, et ſuperaret quidem in hoc auctoritate et poteſtate Metropolitanos illos, qui Exarchi uocabantur, inde etiam, ut uidetur, locum in conciliis ante hos occuparet praecipuum, diceretur tamen aeque ac illi Exarchus.

1) Exarchorum nomine omnes prorſus Metropolitanos decorat EVAGRIVS L. IV. c. 7. *Vnicuiusque diocoeſeos Patriarchae inter ſe conſenſerunt, et ſingularum urbium Epiſcopi Exarchos ſuos ſecuti ſunt.* 2) Conf. Ep. LEONIS LXXXVI. c. 6. Prouincias, per quas Epiſcoporum Romanorum uices gerere debeant Theſſalonicenſes, recenſet NICOLAVS I. P. in Epiſt. 2. ad Michael. Imp. nimirum *per Epirum ueterem, Epirumque nouam, atque Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam, Daciam Ripenſem, Daciamque Mediterraneam, Myſiam, Dardaniam et Praeualim.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA